




V
B
J
C
38548
II

Radondelli

REGIA VIA

Omnes Dissidentes in Religione

NEO-EVANGELICOS.

ad

Orthodoxam & Salvificam Christianæ Fidei

VERITATEM

perscrutandam, inveniendam, & amplectendam

MANUDUCENS,

pro majori elucidatione

SCRUTINII VERITATIS FIDEI DIVINÆ

Proposita per

JOANNEM FRANCISCUM HACKI

Societatis Jesu Theologum.



Anno Regnantis Viæ, Veritatis, & Vitæ. M.DC. LXXXIX.

Prostant Gedani apud *Ægidium Janssonium à Waesberge.*

Hæc dicit Dominus, state super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animæ vestræ Jeremiæ 6. v. 16.

Verum Dei Verbum reperire non poterunt, qui non recto pergunt itinere, sed deviis circumeunt callibus, VIAMQUE REGIAM non tenentes curvis ducuntur anfractibus. Hieron. Tom. 5. Lib. 3. in Cap. 8. Amos.

His sic se habentibus; REGIAM VIAM incedentes, & Sanctorum Nostrorum & Divinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua S. Spiritus inhabitat traditionem observantes, definimus. &c. Synodus Gener. VII. Nicena II.

APPROBATIO.

LIber, *cui Titulus REGIA VIA &c. ab A. R. P.* Joanne Francisco Hacki *Societatis Jesu Theologo, doctè & erudite conscriptus, dignus censetur, qui pro majori Christianæ Reipublicæ emolumento lucem publicam videat. Gedani die* 13. *Martii* 1688.

Joannes Georgius Kunigk V. J. D. *Vladislaviensis, Plocensis Canonicus Officialis Gedan. & Pomer. Generalis, m p.*

L. S.

FACULTAS.

CUm *Opus, quod inscribitur REGIA VIA &c. à* P. Joanne Francisco Hacki *nostræ Societatis Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestate mihi facta ab A. R. Patre Nostro Thyrso Gonzalez præfatæ Societatis Generali Præposito, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei testimonium has literas manu nostra firmatas & sigillo munitas dedi Gedani* 25. *Feb. A.* 1688.

Joannes Hermannus
Præpos. Provinc. Societatis Jesu per Poloniam. m. p.
L. S.



AD

CELSISSIMUM, ILLUSTRISSIMUM, AC REVERENDISSIMUM DOMINUM,

DN. JOANNEM STANISLAUM

De Sbaszyn

SBASKI

Episcopum Varmiensem & Sambiensem S.R.I. Principem, ac Primatem Prussiæ, Dn. Patronum, ac Benefactorem Colendissimum

INviam Virtuti nullam esse Viam, *luculentissimum Argumentum est*, Tuus, *quam* Auspicatissimo *adis* passu, *Cathedræ* Ingressus, PRINCEPS & PRÆSUL Celsissime. *O quot! habuit, numeravitq;* Vias Appias INFULATA Virtus TUA; *quibus* TE *ad hoc Novi* HONORIS Augustal *deduceret; & è Terra* PRÆMISLIENSI, in

in Terram PRUSSIÆ, *transportaret!* *Et ecce sternitur alia*, PRÆSULEO TUO, *non tam decurrenda, quàm calcanda* pede, & pedo. VIA REGIA *est, ut vel eô titulô Menti* TUÆ *arrideat, Oculis placeat; quòd* REGALEM *in* TE JOANNIS III. Gratiam *refricare valeat; à Quo nuper* Romano Itineri *ad* INNOCENTIUM XI. PONTIFICEM, & *nunc secundo* HONORIS *accessu, in* Pontificiã Dignitatẽ *destinatus sis. Solámne dixerim* Pontificiam? *in qua è* Latio *redux, etiam* Cardinalitiam *in* RADZIEJOVIIS, *totq; aliis* EPISCOPATUS TUI decessoribus *videre possis* Purpuram, & *induere. Dignus insuper, ut pari merito, è* PRIMATE & PRINCIPE PRUSSIÆ, PRIMAS POLONIÆ, PRIMUSQUE PRINCEPS *nomineris. Præsertim*

cum

cùm habeas Gentilitiam Domi Tuæ Fasciam, *quâ non solùm* Agno Tuæ Varmiæ, *in* aurei vicem Velleris *adstringaris, sed & omne* Eminentissimæ Dignitatis, *indissolubili* Tibi *nexu vincias, illigesq́* Decus. *Quanquã hâc ego* Tænia *uti velim, ad Heterodoxorum mentes in Orthodoxæ Veritatis Viam indubiè pertrahendas; ne aut labantur, aut errent; vel sic tandem, pulchrè in* Gremio S. Matris Ecclesiæ fasciandi: *Quinè* Fascia & novum *in Terris habituri* Zodiacum, *in quo illis velut in Cœlesti*, Sol Lux Orbis, Lumen Fidei *resplendescat. Novit enim* munifica *explicare se, & evolvere amplissimè, in* beneficia *miserorum: Ut taceam alios; Collegium meum Gedanense quàm liberale acceperit*

ceperit munus, *ille noverit*, *cui illud* Manu TUA *ſubſcriptum* & *ſignatum legere*, *ſecuturis temporibus contigerit*. *Nec mirum* ANTISTES CELSISSIME *eſt*, *pro eo Beneficio*, *hanc me* TUO PRÆSULEO *adornâſſe pedi*, Viam Regiam. *Obligâſti ad laborem* Caput & Animum: *debitum* TIBI *obſequium eſt*. Moris *fuerit Ingreſſuris* Viam *ſternere*; *à me id extorquet* Vis Amoris. *Quamquã non tam gaudeo*, *me*, ſternere, *quàm aveo in ea* proſterni, *ſupplèxq; fieri* Cœlo, *pro quàm fortunatisſimâ*, *quámve diutisſima* TUA *in terris*, ECCLESIÆ & PATRIÆ *Bono*, *incolumitate*; *utpotè*

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ
Celſitudinis Tuæ

Devinctiſſimus ac minimus in Chriſto Servus
Joannes Franciſcus Hacki,
Rect. Coll. Ged. *Soc:* JESU.

PROPHASIS
Ad Benevolum Lectorem.

POst Scrutinium Veritatis Fidei orthodoxæ duabus à me Partibus absolutum, quid aliud lucem publicam videre ambiret? quam Regia Via, ad eandem orthodoxam Veritatem fidei indagandam æque ac amplectendam manuducens? si mihi ad illam intricatam apud Jobum quæstionem, *in qua via lux habitat?* respondendum foret, non aliud reponerem, quàm quod lux (indubie Veritatis) *in viâ* Regiâ suam fixerit stationem. Quisquis enim Scrutator est veritatis fidei, viam qua in eadem perscrutanda securè incedat noverit est necesse. Nulla vero securior Regiâ. Hanc velut intento digito longè ante ore Prophetæ indicat Supremum Numen. *Hæc dicit Dominus, state super vias & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animæ vestræ* Jerem. 6. 16. Hac deduci optabat Propheta Regius: *Deduc me Domine in via Tua & ingrediar in veritate tua.* Psalm. 85. 11. Nimirum is optimè in veritate Divina ingreditur, qui manuducente Deo à Regia ejusdem via ne latum pedem regreditur. Quænam vero hæc sit? hic labor, hoc opus nostrum Tibi Lector benevole manifestè demonstrat. Non

Job. c. 18. 19.

illa est solum Verbum Dei scriptum; quia hoc ipsum quòd verum sit? quot & qui illius Libri? quisve sensus illius verus? ni aliâ Regiâ viâ indagaveris, à recto tramite facile deviabis, in varios incides anfractus, inextricabiles reperies mæandros, periculo demum salutem exponens æternam nusquam reparando: dicente D. Hieronymo. *Verum Dei Verbum reperire non poterunt, qui non recto pergunt tramite, sed deviis circumeunt callibus, Viamque Regiam non tenentes curvis ducuntur anfractibus* Lib. 3. in cap. 8. Amos. Hinc idem S. Doctor. *Sed & hoc possumus dicere quòd omnia contraria dogmata veritati amara sint, & sola dulcis veritas, unde cavendum est, ne pro veritate sequamur mendacium, ne pro lumine tenebras: Multæ enim sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, & novissima eorum perveniunt in profundum inferni. Est quoque Justus periens in justitia sua cui dicitur, non sis justus multum. Quas ob causas Israel repromittit se Via ambulaturum Regia, nec ad sinistram, nec ad dextram declinaturum.* T. IV. L. L. 2 Com. in C. 5. Isa. Quis verò non videt omnes quotquot sunt fueruntvè Sectæ & Religiones, *pro* veritate *sequi mendacium, pro lumine tenebras?* Quæ etenim est? quæ non dicat vias suas esse rectas, se verum justitiæ veræ tenere tramitem? E contrario à via justitiæ æque ac veritatis recessisse Catholicam (seu ut per contemptum vulgo eam nominant Papisticam) Ecclesiam: Verum prô? *novissi-*

vissima eorum perveniunt in interitum? prô? *pereunt in Justitiâ sua*, dum nimium justi esse volunt, quia nim. viâ Regiâ minimè ambulant. Quis non videt omnes unicum Verbum Dei venditare, plenisque buccis jactitare? & tamen non Regia via sed deviis circumeunt callibus, carnis ducuntur anfractibus, laborem in labyrintho sentiunt, quia in aureo vellere verbi Dei sensus genuini indagando ac inveniendo, Ariadnæ, id est, Ecclesiæ S. Matris & Sponsæ Christi activæ Regulæ credendi filo sese duci haud permittunt. Hæc nimirum Regia via est, à justo & viarum Domini peritissimo indigitata nomine *viæ vinearum* quà non ambulantem anathemate quodam ferire videtur, per quam S. Matrem Ecclesi. intelligit D. Gregor. M. *Via, namque,* inquit, *vinearum est rectitudo Ecclesiarum. Qua in re sive hæreticum, sive carnalem non obstat intelligi: quia via vinearum i. e. Ecclesiarum amittitur, dum vel fides recta, vel rectitudo justitiæ non tenetur. Ille namque per viam vinearum ambulat, qui Sanctæ universalis Ecclesiæ prædicationem pensans, neque à fidei, neque à bonorum actuum rectitudine declinat* Lib. 16. Moral. cap. 30. Hinc recte monet Divus August. *Si jam satis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere, sequere viam Catholicæ Disciplinæ, quæ ab ipso Christo, ab Apostolis ad nos usque manavit, & abhinc ad posteros manatura est. Lib.* de Util. Cred. cap. 8. At vero hæc ipsa *Via* Regia *Catholicæ Disci-*

Job. 24. v. 28. Maledicta sit pars ejus in terra, non ambulet per viam vinearum.

 cipli-

ciplinæ, non alia eſt, quam ut teneas firmiterque credas hoc velut primum ac immediatum Fidei principium, *omne id credendum, quod Deus veritas prima revelavit.* Huic porro ponè alterum Mediatum. *Omne id quod Eccleſia Catholica proponens docet, eſſe revelatum à Deo veritate prima, eſt vere revelatum à Deo*; adeoque *credendum*. Quænam porro ſit hæc Eccleſia Catholica proponens? Hanc non aliam demonſtramus, quàm quæ in proponendis veritatibus Fidei utitur quinque mediis ſeu argumentis, nimirum, 1. Verbo Dei ſcripto 2. Verbo Dei tradito. 3. Conciliorum Autoritate 4. SS. Patrum concorde ſententia: 5. Totius denique Eccleſiæ perpetuo & unanimi conſenſu. Hoc porro ipſum cum non alia, quàm Catholica Romana Eccleſia omnibus ſeculis ac modo præſtet; hæc ipſa nec alia eſt verè Eccleſia Catholica proponens veritates Fidei orthodoxas. *Et hæc ſunt* paucis compendio expreſſa, quæ toto hoc Libro (ut cum D. Hieronymo concludam) *interpretati* (ſeu commentati *ſumus* pro Dei Ter optimi Maximi majore gloria & ſalute animarum) *obedientes illi Præcepto neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinabis, ſed VIA REGIA ingredieris.* Tomo IV. Lib. 2. Com. in cap. 38. Ezech. Hanc quotquot eſtis devii tenete! *& ambulate in ea & invenietis refrigerium animæ veſtræ*, tam in tempore, quam in æternitate, quod intimo animi ſenſu exopto, ac voveo univerſis.

IN-

INDEX TITULORUM.

Prophasis ad benevolum LECTOREM.

MANUDUCTIO I.

AD rectam rationem Scrutinii Veritatis Fidei Orthodoxæ faciendam, Propositiones quædam certæ præmittuntur.

Deo

MANUDUCTIO II.

Quisnam sit hic Proponens? Hanc unica Propositione absolvemus.

MA-

MANUDUCTIO III.

Quænam ſit illa Eccleſia Proponens Veritates Fidei à Deo revelatas, fidelibus credendas per modum Regulæ activæ infallibilis Autoritatis.

MANUDUCTIO IV.

Quænam ſit Regia via, quam Eccleſia Proponens infallibilis autoritatis in veritatibus fidei Chriſti fidelibus proponendis tenere debet: & quâ ſcrutatori veritatis incedendum, ut veritatem fidei securè inveſtiget, inveniat, & amplectatur.

MANUDUCTIO V.

Quænam ſit in particulari Eccleſia tenens Regiam Viam in proponendis Veritatibus fidei Orthodoxæ eisdemque credendis, adeoque quâ ſcrutatori veritatis fidei in eadem indaganda procedendum.

Propoſitio I. *Nulla ex præſentibus Neo-Evangelicorum Diſſidentium inter ſe atque à Romana* Eccleſiis *in proponendis Veritatibus fidei, eiſdemque credendis hanc Regiam viam tenet.*

Propoſitio II. *Sola Romana* Eccleſia *hanc Viam Regiam tenet in proponendis Veritatibus fidei à Deo verè revelatis.*

Propoſitio III. *Obices ad hac Regia Via removentur.*

Propoſitio IV. Eccleſia *Romana Proponens Veritates fidei, eſt Eccleſiæ Paſtor ſummus Pontifex cum Concilio generali Veritates fidei vel morum decernens: vel quando hoc non adeſt, idem Pontifex ſeu Paſtor Supremus unanimi ſenſu & conſenſu cum cæteris ſubordinatis* Eccleſiarum *Paſtoribus, totoque vel plurimo cœtu fidelium ceu ovibus in veritatibus fidei credendis, in vel extra Concilia particularia, conſpirans.*

MANUDUCTIO VI.

Adducuntur exempla plurimorum Proteſtantium, qui agnitis & rejectis ſuarum ſectarum erroneis dogmatibus hac Regiâ viâ Veritatem Orthodoxam amplexi, victas vinctaſque Eccleſiæ Catholicæ Romanæ manus dedêrunt.

Reges, Dynaſtæ, Principeſque Viri.

Comites, Liberi Barones, Equites, *Generales, Colonelli &c. Perſonæ Illuſtres magnæque notæ ſigillatim in Polonia, Pruſſia, Livonia, Curlandia*

Viri Excellentes & Eruditi, Superintendentes, Prædicantes, Doctores Theologiæ, Juris, Medicinæ, nec non Philoſophiæ, Licentiati &c.

Personæ variæ conditionis partim Autori cognitæ, partim ejusdem opera viâ hâc Regiâ manuductæ ad S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ gremium.

Personæ item illustres variæque conditionis juxta catalogum R. P. Matthæi Zeidler Societatis Jesu Regentis *Convictûs Nobilium Uratislaviæ, Autori recens communicatum.*

EPIPHASIS.

Cum voto Autoris. *Quæ cum ita sint &c.*

Indicem Rerum *separatum non apponimus: illius enim supplet vicem, compendiò ad marginem adnotata, quæ in Corpore operis fusiùs continentur. Vale denique Lector benevole, atque hisce ad Dei O. M. Majorem gloriam, Tuæque ac aliorum salutem* Animarum *fruere.*



MANUDUCTIO I.

Ad rectam Rationem


SCRUTINII VERITATIS

FIDEI ORTHODOXÆ

Faciendam,

PROPOSITIONES

Quædam certæ præmittuntur.



ANtequam demonſtremus viam Regiam, ſeu certam ac infallibilem rationem diligenti Scrutinio indagandæ veritatis Fidei Divinæ, veræ, Chriſtianæ, & Orthodoxæ; præmittendæ erunt nonnullæ Propoſitiones certæ & infallibiles, quibus (ut autumo) nec ipſi Diſſidentes Adverſarii difficulter inficiabuntur, ſi præſertim momenta rationum æqua mentis trutinâ perpendant, quæ Scrutatori veritatis æquè ac ſalutis æternæ, introductionis locò præliminariæ ſerviant ad penitius Veritatem Fidei Divinæ indigandam & conſequendam.

PROPOSITIO I.

Quid ſit Veritas Fidei Divinæ.

INgentem nobis injuriam intuliſſe videtur Pilatus, qui cùm Joan. 18. 38. interrogaſſet Dominum *quid eſt Veritas?* non exſpectato, nec audito reſponſo, ad tam neceſſariam & utilem Quæſtionem, *abiit & exivit iterum ad Judæos.* Non enim eſt dubium quin ſapientiſſimus & *plus quam Salomon hic* Matth. 12. 42. Magiſter noſter dediſſet nobis veram definitionem, adeoque ſolidiſſimam & profundiſſimam doctrinam Veritatis. Nihilominus tamen

ad hanc Quæstionem audiamus responsum ex ore ipsiusmet Magistri nostri alio loco, ubi ait. *Ego sum Veritas.* Joh. 14. 6. & ex ore ejusdem Discipuli quem ipse diligebat, *quoniam Christus est Veritas.* 1. Ep. c. 5. 6. Igitur ipsemet & quà *Deus* est prima essentialis ac suprema Veritas, & quà *Homo* Veritatem per Unionem hypostaticam in Persona Verbi communicatam habens. Quà igitur *Deus*, Veritas quid est? Nihil aliud, quàm est *id quod est à se ita ut est.* Etenim Deus quà Deus non aliter se vocari voluit per Mosen, adeòque hanc Definitionem essentiæ suæ Divinæ declaravit. *Ego sum qui sum.* Igitur & Deus quà veritas non aliud est quàm *is qui est à se, ita ut est*, seu neutraliter *id quod est à se ita ut est:* Sic enim τὸ *id quod est* seu *is qui est à se* exprimit rationem Deitatis. Deus enim ex vi esse seu essentiæ suæ est is qui est perfectissimus, à se ipso, à nullo dependens, & à quo omnia dependent tam in esse, quàm in operari atque conservari. Τὸ autem *ita ut est*, exprimit rationem Veritatis. Neque enim ratio Veritatis ut sic, aliter concipi & explicari potest, quàm per ipsum *ita ut*, sic enim adæquationem & conformitatem (per quam Aristoteles explicat Veritatem L. 2. Metaph.) quandam sui ad se ipsum, importat: quà conformitate si quæ res careat, non potest dici Verum, sed falsum; quia non ita est ut est i. e. esse debet, seu ex natura rei exigit esse.

Quid sit Veritas quæ est Deus?

Deus igitur est Veritas Prima, fons, origo causaque efficiens omnium aliarum extra se, seu creatarum Veritatum, suam Veritatem proportionaliter eisdem communicans: ità sicut & ipsum esse suum entibus creatis proportionaliter communicat. Hinc ratio entis creati nihil est aliud quàm participatio quædam esse, seu entis increati: à Deo enim omne ens quod est habet id quod est: Quod igitur esse communicat Deus enti, hoc ipsum ens participat. Ita quoque dicendum est de veritate creata, quod illam Deus Veritas increata communicat enti creato; ens autem ipsum participat illam. Unde nullum ens est verum tum de facto actu, tum possibile, quod non possit & debeat reduci ad Deum Veritatem primam, tanquam lineæ Peripheriæ ad punctum, rivuli ad fontem, radii ad Solem. Conformiter itaque Veritas creata definiri debet ad Increatam, sicut igitur veritas increata est, *id quod est à se ita prout est.* Ita & creata omnino nihil aliud est, quàm *id quod est à Deo, ita prout est*, seu exigit esse ex natura scilicet sua creata à Deo.

Veritates creatæ sunt participatio veritatis Primæ increatæ, quæ est Deus ipse.

Hinc jam videndum est quid sit Veritas Fidei veræ & Orthodo-

Quid sit Veritas

xæ,

xæ, & hoc indubiè importat τὸ ità prout, sed cum addito. Etenim S. Paulus universaliter edicit *Fides est ex auditu*. Rom. 10: 17. Si ex auditu, ergo ex dictione aliena: hæc enim praecedit auditum: unde adjungit ibidem D. Paulus *quomodo audient sine prædicante?* Hæc porro dictio debet esse Vera: si enim sit falsa, necessariò sequi debet falsa Fides: Vera autem tunc erit, quandò etiam importabit τὸ *ita ut*, hoc est à dicente *ita* dicitur *prout est*, id de quo est dictio & à credente ita creditur esse prout est id quod dictum est à dicente. Falsa autem quando non ità dicitur à dicente prout est, adeoque nec ità à credente creditur esse prout est, & prout esse à dicente dici debuit. Cùm igitur fides ut sic seu omnis fides prærequirat dictionem, ideò enim creditur quia dicitur, unde quo certioribus & clarioribus argumentis quis suam dictionem certam reddit, eo certiorem fundat fidem. Hinc sequitur & in fide divina dictionem prærequiri: at non aliam certè præterquam divinam; hæc enim sola est proportionata Fidei divinæ: Sicut enim humana fides est quæ est ex dictione humana, ita divina ex dictione divina oriri debet. Tunc igitur est fides Divina quando creditur *id quod & quia Deus Veritas prima dixit*: tunc autem vera quando creditur *ita ut Deus Dixit*, seu est, *assensus dictioni Divinæ ita prout dictum est à divina veritate*. E contra falsa fides, quæ est Heterodoxa erronea seu hæretica aliàs dicitur, est, *cum non id creditur quod est, nec ita dictum est prout Deus dixit*. Hinc infer.

fidei Divinæ Veræ.

Quid fides falsa erronea.

Consectarium I. *Dictionem* seu ut aliàs etiam usitato verbo loquar quod idem est, *Revelationem Divinam* esse rationem formalem intrinsecam, & differentialem fidei veræ Divinæ ut sic, Quia per illam constituitur fides in esse fidei Veræ Divinæ per illamque distinguitur ab omni alia fide, quæ non est divina & supernaturalis fides. Hinc si est ratio formalis intrinseca semper rationem fidei formalizat: rationes enim formales intrinsecæ à suis subjectis nullo modo abesse possunt; Solæ enim rationes accidentales extrinsecæ possunt abesse & adesse sine corruptione substantiæ. Quare & in statu ac lege naturæ, & in Lege scripta, fides vera Divina erat in hominibus, tum quando credebant id quod & ità prout Deus dixit seu revelavit. Hæc eadem fuit estque nunc in Lege gratiæ, cum itidem credimus id quod & ita prout esse Deus Veritas prima dixit seu revelavit.

Consectaria 1. Dictio seu revelat o Dei est ratio formalis fidei Divinæ.

Hinc semper fidem formalizat tam in gratiæ, quam Mosis & naturæ Lege.

Consectarium II. Quod hæc Ratio fidei Divinæ Veræ est superior & universalior adeoque prior illa, quam alias adferunt Dissidentes

2. Hæc ratio formalis fidei Divi-

næ Veræ nempe Dictio est universalior & prior, illâ quâ Dissid. Neo-Evang. utuntur nim: Verbo DEI scripto.

dentes Neo-Euangelici: quod scilicet ratio formalis fidei veræ sit *credere id quod & ita prout Deus dixit esse seu revelavit in verbo suo scripto.* Etenim in Lege Naturæ erat fides Vera Divina in Deum, in Christum &c. & tamen nondum erat Verbum Dei scriptum. In Lege item scripta erat fides vera Divina itidem in Deum, in Messiam futurum &c. & tamen non simul & semel fuit totum Veteris Testamenti Verbum Dei scriptum. Ac tandem in Lege, Gratiæ quoque, constat initio Ecclesiæ prædicatum esse Euangelium, adeoque fidem Divinam Veram propagatam fuisse in omnes Gentes per Apostolos sine Verbo Dei scripto. Unde Apostolus & Euangelista D. Joannes nomine omnium Apostolorum ait 1 Ep. 1. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectaverunt de Verbo Vitæ* &c. annuntiamus vobis, non ait, quod scriptum est, quod legimus, quod scripsimus &c. Antequam enim Apostoli & Euangelistæ Euangelium ac ceteros Libros sacros conscripsissent, jam prædicatum est id quod Deus Veritas prima dixit & ita prout dixit seu revelavit; & Gentes crediderunt, id quod & ita prout est dictum seu revelatum à Deo Veritate primâ: adeoque dicta ratio fidei Divinæ Veræ superior & Universalior, ac per consequens prior est illa quam Dissidentes adferunt. Unde etiam à Verbo Dei scripto valet Consequentia ad Dictionem Divinam v. 9. Hic liber est Verbum Dei scriptum, Ergo est à Deo dictus & revelatus &c.

3. Consectarium. Categoria & Analysis fidei Divinæ Veræ proponitur.

Consectarium III. Quæ sit Divisio & quædam Categoria atque Analysis Fidei Divinæ Veræ. Etenim fides ut sic est *assensus dictioni*: Et quia Dictio est alia Divina, alia humana cui fit assensus, alia item cogitari potest Angelica, qua unus Angelus alteri: v. g. in statu viæ locutus est, hinc sequitur (ut de ceteris taceam) Fidem Divinam esse tunc quando est *assensus Dictioni Divinæ.* Hæc porro Dictio Divina *fit verbo.* Omnis enim dictio seu Locutio connotat Verbum: hinc in Divinis dicimus Patrem dictione seu locutione activa producere Verbum quod est Persona Filii: Verbum autem est vel *internum*, quo Deus homini vel ipse homo sibi internè loquitur. *Vel externum* idque vel *Voce & Signis exterioribus*, vel etiam *scripto*, vel non *scripto*, sed per Angelum vel per homines manifestatum. Hinc Dictio potest dividi in Dictionem, *verbo interno*, vel *externo*; *Scripto* vel non *scripto* expressam: adeòque & fides Divina alia in qua est *assensus Dictioni Divinæ Verbo non scripto*, alia in qua est *assensus Dictioni Divinæ Verbo scripto*; & ta-

lis

lis quidem assensus Dictioni *Verbo non scripto*, adeòque & fides, fuit in Lege naturæ; in quâ à Deo Veritate Primâ dicta & revelata non scripto dabantur, sed viva Voce à Patribus posteris velut de manu in manum tradebantur. Assensus autem Dictioni Verbo *partim scripto, partim non scripto*, adeòque & fides tam in Lege Veteri Mosaica, quàm in Nova Christi, usitata fuit & est, ut dictum in Confect: 2. Et quia Dictio Divina *Verbo scripto* aut non *scripto* potest proponi *vel ita prout est à Deo intellecta*, & prolata, vel non ita, sed prorsùs diversimodè, hinc fit ut assensus priori generet *fidem Divinam Veram*; assensus posteriori *falsam*. Fides denique Divina Vera est *una*, *Orthodoxa*, *Catholica*, *verè Christiana*, contra falsa *multiplex*, *varia*, *mutabilis*, *hæretica*. Illam itaque veram unicam hac Viâ Regiâ indagamus. Analysin hujus fidei accipe in Schemate.

SCHEMA

Categoriæ & Analysis Fidei Divinæ Veræ.

Assensus Dictioni
- 1. Divinæ hinc Fides Divina Supernaturalis est Assensus Dictioni Dei Veritatis Primæ
  - Verbo
    - 1. Non scripto in Lege Naturæ
    - 2. Partim Scripto partim non scripto Lege Vet. & Nova.
      - Præpositæ ita prout Veritas Ima Deus dixit,
      - & hæc est
      - Propositæ non ita prout Veritas I. Deus dixit,
- 2. Humanæ hinc Fides humana naturalis.
- 3. Angelicæ quæ fuit inter Angelos in statu sigillatim Viæ.

FIDES ut sic seu in communi est.
- Fides vera Una immutabilis Catholica orthodoxa.
- Fides falsa multiplex mutabilis heterodoxa hæretica.

PROPOSITIO II.

Veritas Fidei Divinæ nonnisi una ac individua.

Veritatis fidei Divinæ essentialis proprietas Unitas.

DUas præcipuè essentiales Proprietates, ex quibus ceteræ pullulant, habet fides Divina vera, nimirum quòd sit primò non nisi una, *individua*. Secundo *immutabilis*, & quòd hinc sequitur *perpetua*, *indefectibilis*, *Universalis*. Contra vero fides falsa est *multiplex*, in *Sectas varias discissa*, *mutabilis*, ac proinde non perpetua, defectibilis, particularis. De prima igitur proprietate nimirum Unitate fidei hìc agemus. Explicatur Propositio. Possunt circa unum idemque objectum fidei à diversis formari plures propositiones, seu enuntiationes; adeòque & assensus quarum una Enuntiatio sit affirmativa, altera negativa, ex his una solùm seu affirmativa seu negativa necessariò debet esse vera, altera falsa omnino.

Probatur 1. quia Veritatis ut sic est proprietas essentialis Unitas.

Probatur 1. quia Veritatis ut sic proprietas est *Unitas*: Omne enim Ens Verum est non nisi unum; seu est uniter objectivè sese habens; igitur & enuntiatio de illo una solùm est vera: dici enim sequitur ad esse. Ponamus v. g. aliquod objectum Verum v. g. de Petro quòd sedeat: circa hoc objectum nempe Petrum sedentem possunt dari plures & variæ disparatæ, & oppositæ Propositiones: Potest enim de Petro si de illo quæratur quid nunc faciat: ab uno dici, Petrus jacet, ab alio Petrus ambulat, à tertio Petrus currit, à quarto Petrus stat, à quinto Petrus natat vel volat &c. ac tandem ab uno Petrus sedet: ex his omnibus enuntiationibus Sola ultima est vera, ceteræ omnes falsæ; quia hæc Sola est conformis objecto, ità enim enuntiat, prout in se est objectum, consequenter assensus huic Soli est Verus, fidesque vera. Atqui hæc est solùm una, ceteræ multæ, Ergo apparet quòd de ratione veritatis ut sic sit unitas, adeòque omne Verum est Unum indivisibile, è contra falsum multiplex & per plura, divisum: ac per consequens Veritatis ut sic proprietas est Unitas. Ergo & Veritatis Divinæ Supernaturalis: par enim est ratio utriusque; hæc enim sub illa continetur tanquam Species sub genere, quod autem generi hoc & Speciei convenit.

Probatur 2. ex Scriptura S.

Probatur 2. ex Scripturâ S. Paulus enim expresè ait *Unus Deus Una fides* Eph. 4. 4. ubi Doctor Gentium videtur velle fidem pari unitate esse unam, quâ unitate est ipse Deus unus, quasi diceret etsi dentur plures Dii falsi, ut sunt Idola, quæ Idololatræ colunt,

ni-

nihilominus tamen unus eſt ſolum Deus Verus: ita quantumvis reperiantur plures fides falſæ, nihilominus una ſolum eſt Vera. Deinde Chriſtus D. Joan. 17. aliquoties orat Patrem ſuum ut Eccleſia ejus ſeu fideles *ſint unum ſicut & nos ait*, at non aliter unum, quàm in unitate veræ fidei, & dilectionis mutuæ, ut patet ex contextu; & ex Joan. 15. Ergo Chriſtus D. fidem ſuam veram infidelibus vult eſſe omnino unam.

Probatur 3. Quia ſi fides vera non eſſet una, tunc circa unum idemque objectum fidei oppoſita, ſcilicet affirmatio & negatio de eodem objecto, eſſent vera vel falſa, quod implicat contradictionem. Quod ipſum declaratur v. g. de hoc objecto fidei, quòd Deus ſit Unus in eſſentia, trinus in perſonis, dicunt Catholici, & cum illis hoc in articulo benè ſentientes Lutherani & Calviniſtæ affirmativè, contra Sociniani, Anabaptiſtæ, Quakeri negativè. Tritheitæ non tantum tres perſonas, ſed etiam Deitates admittunt diſtinctas. Igitur poſito illam priorem Propoſitionem affirmativam eſſe veram; reliquas omnes falſas eſſe neceſſe eſt. Nam ſi etiam hæ ſunt veræ, oppoſita ſibi ſcilicet affirmatio & negatio de eodem ſimul erunt Vera, quod quis ſanus mente concedat? Igitur neceſſariò ſequitur Veritatem fidei eſſe omnino unam & individuam. Hinc jam Scrutatori Unicæ Veritatis ſalutiſque ſuæ æternæ amatori ſequentia inferenda Conſectaria propono.

Probatur 3. quia aliàs affirmatio & negatio de uno eodemque objecto eſſet Vera, & falſa: quod dici nequit.

Conſectarium I. Cùm tot tamque diverſæ, quin oppoſitæ ſibi in Chriſtianitate ſint Religiones, Eccleſiæ atque cœtus, quarum quævis Suæ fidei veritatem prætendit, neceſſariò una duntaxat ex omnibus debet eſſe Vera, ceteræ omnes falſæ.

Conſectaria 1. Una ſolum Eccleſia eſt vera.

II. Cùm de uno eodemque objecto fidei ſint tot tamque diverſæ quin oppoſitæ Diſſidentium Religionum & Sectarum propoſitiones, Sententiæ, Confeſſiones, earumque articuli & dogmata: neceſſariò unius Religionis Confeſſio & dogmata ſunt vera, ceterarum falſa.

2. Una Confeſſio & ejus articuli Vera.

III. Cum itidem unus idemque Scripturæ locus & textus, quo aliquis fidei articulus comprobatur, aliter ab uno, aliter ab alio, aliter à tertio, & quidem planè contradictoriè explicetur, fideique articulo propoſito applicetur; nonniſi una ejuſdem explicatio, & applicatio eſt vera, ceteræ ſecus.

3. Unus ſenſus S. Scripturæ circa fidei articulum verus.

IV. Cum tot Diſſidentes religiones & Eccleſiæ habeant tam diverſam & quidem oppoſitam, ſibique repugnantem prædicationem Verbi DEI. Item Sacramentorum adminiſtrationem, ſeu ut alii

4. Una Prædicatio Verbi Dei administratio Sacra-

mentorum &c. Vera.

alii volunt ceremoniarum, alii neutrum admittant: in una Sólum Religione seu Ecclesia est Vera Verbi Dei prædicatio, & Sacramentorum administratio, secùs in ceteris.

5. In Una solùm Ecclesia Veri Ministri Verbi Dei.

V. Cùm item in tot Dissidentibus Religionibus sit tanta diversitas Ministrorum & Prædicatorum Verbi Dei, in una solum Ecclesia Veri Ministri reperiuntur. Idem dicendum de ceteris, quæ per modum postulatorum in Scrutatore Veritatis à nobis proposita sunt omnibus Dissidentibus.

Restat igitur Scrutatori Veritatis fidei Veræ seria mentis indagine inquirere. Quænam illa Ecclesia, illa fides, illa fidei Confessio &c. sit vera & una, ceteræ falsæ etsi multæ & diversæ.

PROPOSITIO III.

Veritas Fidei Divinæ immutabilis & invariabilis.

Veritatis fidei Divinæ proprietas immutabilis.

IMmutabilitas est altera fidei Divinæ proprietas, ità ut quod semel in fide est verum in se, semper sit verum, nec de vero transire possit in falsum. Nam inprimis omne verum est immutabile: si enim mutari posset, & esset verum & non esset; esset ut supponitur; non esset, quia non esset tale quale est, & esse debet ex natura sua, quia esset aliud, vel actu, re vera, vel posset fieri aliud, adeòque non esset hoc quod est & esse debet, consequenter nec esset verum; quia de essentia Veri est ut sit ita seu tale prout, seu quale est & esse debet ex sua natura ut dictum Propos. I. consequenter omne verum est immutabile & invariabile: contra verò falsum mutabile, variabile, quia de ratione falsi non est, ut sit id quod & ità ut esse debet, imò est id & ità quod & prout esse non debet; quia de ratione falsi est ut sit difforme quid objecto seu rei in se existenti ita ut est & esse debet. Unde passim dicimus in Scholis; *Hæc propositio est æternæ Veritatis*, quia scilicet nunquam mutari potest, nec de vera transire in falsam. Totum id infundatur illi Principio *essentiæ rerum sunt immutabiles*: Igitur & essentia Veri.

Probatur inpr. quia omne Verum est immutabile.

Cum igitur Veritas ut sic seu in communi, sit immutabilis, necesse est ut & Veritas Supernaturalis Divina sit immutabilis, idque à fortiori, siquidem Veritas fidei Divinæ est Summa Veritas in suo genere, tum ex *objecto* circa quod versatur, quia à Deo Veritate prima revelatum, tum *ex motivo* seu causa movente seu impellente ad credendum, ipsa scilicet Veritate prima dicente seu revelante:

tum

tum ex potentiâ intellectus lumine seu auxilio supernaturali adjutâ & elevatâ ad assensum fidei Divinæ supernaturalis eliciendum.

Quod ipsum stabilitur ex S. Scripturâ quæ testatur *à generatione in generationem veritas ejus* Psalm 99. 5. Igitur semper est eadem nec variabilis. *Item Veritas Domini manet in æternum* Psal. 116. 2. quæ verba explicans S. Chrysost. in Ps. 116. ait: *ipsa, etiam veritas ea est quæ fidem tenet rectam, veram, & integram, quæque Christo inhæret dicenti: Ego sum via, veritas, & vita. Ipsa est Veritas quæ manet in æternum & nos perducit ad antiquum dierum, ad æternum diem nostrum* &c. Omnes igitur articuli fidei verè sunt propositiones æternæ Veritatis: suntque ita veri ut nulla ratione mutari possint, nec de veris ullo modo fieri falsi. Hinc verissimum est id quod Tertullianus ait Lib. de Spectaculis. *Hæc est Veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii non immutare sententiam, nec variare judicium.* Unde Hebræorum proverbium est. *Veritas stabiles, mendacium* adeòque & falsitas *debiles habet pedes*, quia illa nunquam, hæc semper mutatur. Idque etiam significant utriusque Nominis literæ quibus exprimitur *Veritas* & *mendacium* nam illa אמת *Emet*, quadratos, hæc autem שקר *seker* acuminatos, ideoque debiles quodammodo literarum pedes habet.

Probatur 2. S. Scriptura & PP. Ecclesiæ. — S. Chrysost. — Tertull. — Hebræorum Proverbium Veritas stabiles mendacium debiles habet pedes.

Ex hac Propositione Scrutatori Veritatis deducenda hæc verissima Consectaria.

I. Quòd vera fides nullo modo possit mutari, variari nec falsa fieri. Neque valet si dicas: Sequeretur non posse dari hæreses & hæreticos in fide; Atqui de factò constat ab initio statim Ecclesiæ Christianæ datos fuisse & de facto dari: Ergo vera fides potest mutari. Etenim Respondeo dari quidam hæreses & hæreticos in fide, sed ille defectus non est veritatis fidei absolutè in se & secundum se ex objecto; Sed respectivè ex Subjecto scil. quod veritatem fidei non ità concipit, & proponit ut concipi & proponi debet, scilicet prout est revelata à Deo, sed aliter prout illi videtur, vel prout ipsemet sibi imaginatur vel confingit, seu ut verbis D. Augustini utar, *prout suus cuique est autor animus.*

Consectaria 1. Vera fides nullo modo potest mutari.

II. Consequitur quòd omnes fidei articuli cùm sint veri, mutari nullo modo possint, sed semper manent tales. Idque declarari posset per Inductionem articulorum fidei v. g. supposito hunc articulum quòd *Deus sit unus in Natura & trinus in personis* esse verum, nullo modo mutari potest, sed semper verus esse debet;

2. Nec fidei veræ articuli mutari possunt.

adeòque qui oppositum tenent & credunt, falsum non verum credunt quod mutabile est & inconstans. Nam alii credunt Trinitatem operationum, alii Trinitatem merè nominum, alii etiam naturarum. Item supposito hunc articulum Verum esse, quòd Christus D. sit Persona Dei consubstantialis Patri in humanâ naturâ subsistens; falsum est oppositum, scilicet quòd non sit persona consubstantialis, estque hoc ipsum mutabile ac varium. Nam aliqui negant personam Divinam in Christo etsi Filium consubstantialem Patri asserunt, ut Mennonistæ in Examine Gedanensi confessi sunt. Alii negant consubstantialem Patri, & Filium Dei dictum solùm ab Incarnatione, & prima Conceptione, ut Sociniani: Alii Filium Dei dicunt eò quod sit prima creatura, & quidam ante mundi constitutionem ex non existentibus genitus, ut aliqui Antiqui Ariani fabulabantur. Idem dici potest de aliis fidei articulis v. g. de Sacramentis, supposito quòd verum sit dari Sacramenta in Ecclesia Christi hoc mutari non potest. Jam autem quidquid in oppositum dicitur falsum est & mutabile ac varium. V. g. Non dari Sacramenta sed solum ceremonias, quod tenent Socinistæ & Anabaptistæ seu Mennonistæ. Item nec Sacramenta nec ceremonias dari ullas quod docent Quakeri. Item non dari Sacramenta in externis signis consistentia, sed unicum Sacramentum dari ipsum Verbum Incarnatum fidemque in illum ut Confessio Evang. purior. Eodem modo discurri potest de numero usuque Sacramentorum deque ceteris fidei articulis.

3. Vera Ecclesia Christi non potest mutari.

III. Consequitur quòd vera Christi Ecclesia nullo modo mutari potest, nec de vera mutari & transire in falsam, sed semper manet vera. Confirmatur veritas hujus consectarii præter jam dicta pluribus Sacræ Scripturæ locis: aliquot adduco. 1. Ecclesia à Christo D. ædificata est *super petram ità ut portæ inferi non sint prævalituræ adversus eam.* Matth. 16. Stabilis ergo veritas Ecclesiæ esse debet, nec unquam mutari, deficere, errare. 2. Promisit eidem Christus se daturum *Spiritum veritatis, qui illam docturus esset omnem veritatem* Joan. 16. 23. Promissio Domini qui est ipsa veritas utique verificari debet: Si igitur omnem veritatem à Spiritu veritatis Ecclesia perceptura est: Ergo nullo modo mutari potest, nec à veritate vel latum unguem discedere.

3. 1. Timoth. 3. v. 15. Sanctus Paulus vocat *Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis*, eò quod scil: immutabilis sit in veritate, in eaque firmiter ac inconcussè persistat.

Nec

Nec vero moror hic, notas aliquorum Dissidentium distinctiones Ecclesiæ in *visibilem* seu *externam*, & *invisibilem* seu *internam*, in *particularem* & *universalem*, dicuntque *Universalem*, & *Invisibilem*, seu *internam* à veritate non posse recedere. Secùs visibilis, externa, & particularis. Nam misso hoc quòd talis Ecclesiæ distinctio à Scripturâ S. disertis verbis non describatur: dicimus Ecclesiam eo ipso, quod sit Universalis esse omnino veram, adeòque in veritate sua immutabilem; particularem verò quamdiu eam veritatem tenet ac defendit, quam universalis; omninò etiam esse veram nec posse mutari: quod si eam contingat ab Universalis Ecclesiæ veritate recedere, mutatur quidem de vera in falsam: Sed mutatio veritatis est respectivè subjectiva, seu in personis, non autem absolutè objectiva, seu in se ipsa; hæc enim semper manet eadem seu pauciora sint seu plura subjecta, seu personæ quæ illam tenent. Sicut eadem anima non amittit rationem actûs informativi corporis humani; etiamsi corpus unum, aut alterum membrum v. g. manum aut pedem amittat: Ita Ecclesia vera non amittit rationem veri etiamsi unus vel alter, aut etiam plures homines ab illius veritate recedant. Quoad internam, invisibilem, & externam Ecclesiam dicimus non esse perceptibile, quomodo invisibilis interna Ecclesia esse possit sine visibili & externa, neque enim Ecclesia esse potest sine doctrina & prædicatione: *fides enim ex auditu, quomodo autem audient, si non prædicabunt?* Rom. 10. 17. Cùm igitur prædicatio, doctrina, ceteraque ad veram fidem & Ecclesiam spectantia, uti etiam Sacramentorum administratio per Dissidentes præsertim Lutheranos, non sint invisibilia, necesse igitur est fidem & Ecclesiam invisibilem esse non posse, quin sit simul visibilis. Sed data etiam hac distinctione, nihil refert, si adversarii dicant, solam invisibilem Ecclesiam errare non posse; cùm absolutè eloquamur, quod fides & Ecclesia vera mutari non possit, adeòque non errare. Seu igitur sit visibilis seu invisibilis si vera est, mutari in se non potest, nec de vera transire in falsam, etsi in subjectis mutari possit, mutataque sit sæpius.

Examinatur Dissidentium aliquorum Distinctio Ecclesiæ in externam & internam.

Mutatio Veritatis fidei alia est subjectiva, alia objectiva.

Siste hic Scrutator Veritatis & tuæ salutis amator, ac perpende, cùm tot in orbe Christiano videas dari Ecclesias seu Sectas tamque diversas & Dissidentes, quin oppositas sibi; in multis enim quod una affirmat, altera negat, idque circa unum idemque objectum seu articulum fidei; nihilominus unaquæque illarum vera dici & esse contendit, An non ex omnibus hisce non solùm, ut dictum

Scrutatori Veritatis fidei sit reflexio.

necessariò una vera esse debeat, sed etiam talis quæ nequaquàm mutari, fallique & fallere possit, ceteræ autem secùs. Committesne animam tuam ejusdemque æternam salutem illi Religioni seu Ecclesiæ quam animadvertes pro ratione temporum & subjectorum mutari? ejusdem Confessionem fideique articulos variari? & non potiùs illi, quæ semper est eadem, sibique semper similis & constans, non nuper nata, sed perpetua Vetustate firmata?

PROPOSITIO IV.

Veritas Fidei Divinæ potest fieri apparenter falsa, & è contra falsitas in fide Divina apparens solum Veritas.

Vera fides potest fieri apparenter falsa; & contra falsa apparenter vera.

HÆc Propositio Probatur ex eo, quia universaliter loquendo, Omnis Veritas potest fieri homini *apparens falsitas*, & è contra falsitas *apparens Veritas*. Etenim verum objectum potest intellectui nostro ex se aliàs finito, defectibili, & imperfectionibus exposito, ità præsentari ac proponi, ac si esset falsum & è contra falsum ita atque si esset verum: idque ita esse declaratur ulterius.

Probatur quia de omni Veritate id dici potest, cur non & de Veritate fidei?

Præsuppono Intellectiones humanas pendere à phantasmatibus, phantasma à sensibus, sensuum verò est attingere objecta: Unde ortum est illud Philosophorum Axioma. *Nihil est in intellectu nisi ante fuerit in sensu.* Hoc Præsupposito: Potest contingere ut sensus nostri v. g. oculi videant, aures audiant, proponi sibi aliquod objectum, quod in se quidem à parte rei est verum, quia ita se habens seu existens ut se habere, seu esse atque existere debet, nihilominus hîc & nunc ex certis circumstantiis & rationibus in & cum quibus proponitur objectum, potest objici sensui solùm apparenter falsum, & è contra falsum tanquam seu apparenter verum. Hoc tale apparenter falsum, vel apparenter verum oculis visum, auribus auditum percipit sensus communis, perceptum à sensu communi intellectus prima operatione apprehendit & cognoscit, secundâ judicat, & enuntiat, ac tandem tertiâ etiam argumentando infert tale esse, adeòque fit ut objectum in se verum possit fieri in nostro intellectu apparenter falsum, & è contra in se falsum apparenter verum.

Probatur etiam Instantiis.

Hoc ipsum fit manifestum Instantiis. Exemp. gr. potest quis videre aurichalcum, quod quia aliquam similitudinem habet cum auro ex colore scilicet & fulgore, fit ut oculus videns sensui communi

muni aurichalcum pro auro præsentet, intellectus sensui communi præsentatum attingat, adeòque falsum in se pro apparente vero cognoscat, judicet, inferat, & è contra verum in se aurum potest & oculis, & intellectui apparere falsum aurum v. g. sub ratione aurichalci, aut alterius metalli similis auro. Item potest oculus à longè videre hominem euntem, qui ei vel ob debilitatem visus, vel ob distantiam loci videatur esse aliquod animal v. g. equus, hoc ipsum quod oculus videt sensus communis percipit, intellectus attingit, & enuntiat, v. g. Video à longè euntem equum, en iterum falsum in se apparenter verum. Falsum enim est à longè esse equum, quia est homo; apparenter tamen videtur esse verum. Item de *auditu* v. g. Verum est Seren: Regem Poloniarum Joannem III. nunc feliciter regnantem sub Chocimo Turcarum castra occupasse, hostem fudisse, gloriosam & posthumis seculis memorandam victoriam obtinuisse: Posset quis seu malevolo animo, seu ex ignorantia, seu etiam joci gratiâ id negare atque omninò asserere Regem Poloniarum Joannem III. haud Victorem Turcarum sub Chocimo extitisse, quin nec fuisse sub Chocimo scilicet restrictione mentis subintelligendo eum non fuisse pro tunc quà Regem electum, nec coronatum, sed solùm Ducem Exercitûs, adeòque quà Regem protunc de hoste haud triumphasse. Hoc audiens quispiam rerum Nostrarum minimè gnarus posset acquiescere, atque intellectu assentiri omninò id esse verum. En quomodo per auditum intellectus potest objectum seu rem in se falsam apparenter veram apprehendere & cognoscere. Etenim in re falsum est Seren: Regem sub Chocimo haud fudisse Turcas, nihilominus videtur esse apparenter verum, neque enim quà Rex electus & coronatus id præstitit, sed quà Supremus Dux Exercituum protunc existens.

Patet igitur ex his instantiis & pluribus quæ adferri possent, & à quovis boni ingenii formari Veritas nostræ Propositionis, quod verum in se possit apparere falsum, & è contra falsum in se fieri apparenter verum.

Si itaque omne verum in se potest fieri apparenter falsum, & è contra falsum in se apparenter verum, si ab intellectu Nostro verum non ut in se est verum, sed ut apparet falsum, & è contra falsum non ut in se est falsum, sed ut solum apparet verum cognoscatur; Sequitur etiam verum in fide si non ut est à Deo verè dictum seu revelatum à quopiam cognoscitur, proponitur, &

creditur, posse fieri apparenter falsum, & è contra falsum, in fide si cognoscatur, & credatur tanquam revelatum, cum tamen revera non sit revelatum à Deo, potest fieri apparens verum.

Confirmatur S. Scriptura. De Eva & Adam.

Confirmatur hæc Veritas ex S. Scriptura. Inprimis in paradiso primi nostri Parentes experti sunt in malo malô suô & posterorum hanc Veritatem. Etenim Adam & Eva Veritatem fidei hanc accepere à Deo, quòd in quacunque die essent commesturi de arbore vetita scientiæ boni & mali essent ex templò morte morituri: fuit hæc veritas fidei, quia à Deo illis dicta seu revelata, & proposita, tenebanturque illi credere. *Serpens callidior cunctis animantibus terræ* ex hac Veritate fecit apparentem falsitatem, quando ait ad Evam: *Nequaquam morte moriemini: Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eô aperientur oculi vestri; & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Cui mulier acquievit, assensumque præbuit, adeoque habuit sibi & falsum apparens verum seu per modum veri propositum à serpente, & ipsamet eidem credendo & consentiendo decepta est, credendo falsum apparenter verum.

Plures tales Instantiæ ex S. Scriptura adferri possent, in quibus Verum per modum falsi, aut falsum per modum veri ab hominibus propositum, agnitum & creditum. Memorabile est illud Exodi. 7. Ubi Malefici & Sapientes Ægypti signa falsa in se faciebant apparenter vera, Pharaonique tanquam vera proponebant, per quod induraturum est cor Pharaonis, nec audivit Moysen & Aaron in dimittendo populo. Sic & Isaac falsum pro apparente verò agnovit, quando ait: *Vox quidem vox Jacob manus autem Esau.*

De maleficis Ægypti.

Isaac cum Jacob.

Gabaonitæ cum Josue.

Huc spectat simulatio Gabaonitarum longi itineris, qua imposuerunt Josue & Principibus Israelitarum Josue 9. Ubi falsum in se factum est in mentibus Josue & aliorum verum non tamen verum in se, sed non nisi apparens.

Ex Isaia.

Plura alia exempla & instantias prætereo. Idem verò constat ex aliis Scripturæ testimoniis: Isaias c. 5. 20. ait *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum.* Quid hoc aliud quàm quod aliqui in populo illo Judaico fuerint, qui veritatem adulterantes tanquam falsam, & contra falsitatem tanquam veram apparentem populo proponebant, quibus proinde horrendum *Væ* comminatur per Isaiam Deus. Ingemiscit item Deus apud

Jeremiam. C. 23. 21. *Non mittebam Prophetas & ipsi currebant, non loquebar ad eos & ipsi prophetabant.* Scil: falsum veritatis specie colorando, verum falsitatis imagine adulterando. Tot locis vetus testamentum de falsis Prophetis testatur, qui falsitates suas & mendacia specie veritatis tegebant. In Novo quoque prædicit & præmonet Dominus *attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. 18. Similes quoque Pharisæos vocat *Sepulchra dealbata* Matth. 23. 27. qui simulatione suâ & hypocrisi mendacia & falsitates suas velut fucato Veritatis colore depingebant. Judæis quoque in Joanne Christus apparebat. Christum quoque pro mero homine habebant: in utroque falsum pro vero agnoscentes.

Jeremia. Ex novo Testamento.

Hinc quotquot fuere in Ecclesia, *qui* (ut cum Vincentio Lirinensi adv: prof. hæres. c. 23. loquar) *cùm aliquamdiu sanæ fidei forent habiti ad extremum tamen aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent* non aliter in errorum devoluti mæandros, quàm specie Veritatis. Id quod etiam ingenue fatetur Isaacus Peyrerius in sua Epist. ad Philotimum m. p. 56. *Fateor*, inquit, *ingenuè Pater Sanctissime* (alloquitur Alex: VII. P.) *me in illa hypothesi* (scil. de Præ-Adamitis) *exponenda delusum fuisse ipsa imagine veritatis, quâ alliciebar, & quâ alios allici posse existimaveram, quia innocentem putaveram.*

Non est igitur dubium quin veritas fidei etiamnum possit apparere tanquam falsa, & falsitas tanquam vera, prout scil: ab aliquo proponitur, proposita ab intellectu apprehenditur, arripitur, cognoscitur, eidemque assensus præbetur. Hinc jam inferri possunt sequentia Consectaria.

Consectaria 1. Vera fides potest ut falsa doceri proponi teneri & contra falsa ut vera.

I. Vera in se fides, quam diximus in se & ex se esse unam & immutabilem, ejusdemque articulos, potest ut falsa doceri, ac proponi, proposita credi & teneri, & è contra falsa potest proponi, credi, teneri tanquam vera.

II. Vera item Ecclesia quæ itidem est solùm una potest apparere ut falsa, & è contra falsa Ecclesia ut vera.

2. Item Ecclesia.

III. Vera Sacramenta Ecclesiæ, Prædicatio, Ministri Ecclesiæ, & cæteri in Ecclesia ritus, ceremoniæ, consuetudines veræ possunt credi & teneri tanquam falsæ, & è contra, falsa Sacramenta &c. tanquam vera.

3. Sacramenta Prædicatio & cetera.

Hinc jam Scrutator Unicæ Veritatis fidei habet stimulum potentissimum cui durum est recalcitrare, indagandi, An non veritas fidei,

Scrutatori veritatis reflexio.

fidei, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ceteraque quæ illa Sacrosanctè ut vera in se, quia ita prout sunt à Deo veritate prima dicta & revelata, tenet & docet, Dissidentibus ab illa solùm ut falsa appareant? Item fides, Ecclesia, & cetera quæ Dissidentes ab illa docent, & tenent pro veris, solùm apparenter sint vera, in re autem falsa?

PROPOSITIO V.

Veritas Fidei Divinæ etsi apparenter videatur tanquàm falsa, non propterea sit falsa, nec è contra falsitas apparens tanquàm veritas, sit ideò veritas, sed veritas fidei in se manet veritas, falsitas in se manet falsitas.

Veritas fidei apparens falsa non fit falsa, nec falsitas fit Veritas.

HÆc Propositio est evidens. Omne enim verum semel manet semper verum, & contra falsum semel manet semper falsum. De ratione enim veritatis est immutabilitas ut dictum Propósit. 3. & essentiæ rerum non mutantur. Nec verò apparentia illa quidquam tàm vero, quam falso addit præterquam extrinsecam solùm denominationem, tanquam accidentalem colorem: Nihilominùs tàm verum quàm falsum in se est id quod est, Et sicut aliàs accidentia non immutant essentias rerum, ità & extrinseca hæc & accidentalis per apparentiam denominatio falsi vero, & veri falso adveniens, ne quidquam immutat essentiam veri & falsi. Adeòque verum in se etsi appareat ut falsum manet verum, & falsum etsi appareat tanquam verum manet falsum: hinc inferat Scrutator Veritatis.

Consectarium.

Consectarium. Quòd si fides & Ecclesia Romana, eaque omnia quæ docet & tenet sunt vera in se, etsi Dissidentibus Neo-Evangelicis appareant tanquàm falsa, atque pro talibus ab eisdem habeantur, proclamentur; divulgentur, hoc non obstante sunt sine dubitatione vêra: & è contra. Si Dissidentium Neo-Euangelicorum fides, Ecclesia, ceteraque quæ docent & tenent contra Ecclesiam Romanam sunt in se falsa, etsi ab eisdem pro veris habeantur, sunt nihilominùs omnino falsa: ità ut nec illis apparens falsitas adimat veritatem, nec his eandem statuat, apparens vèritas.

Scrutatori Veritatis reflexio.

Scrutatorem itaque unicæ Veritatis, Salutisque æternæ amatorem, hìc subsistere convenit, & secum reputare, an in Catholica Romana Ecclesia sit veritas, in Dissidentium autem ab illa falsitas, vel

vel contra an in Catholica Ecclesia sit falsitas, in aliqua autem ex omnibus sit Veritas? Nam ut sit in omnibus repugnat absolutè, ut toties probatum est in I. Parte Scrutinii. Ut ita agnita unica Veritate multiplicem falsitatem repudiet.

PROPOSITIO VI.

Ne Veritas Fidei in se, fiat apparens falsitas, falsitas contra apparens Veritas: Intellectui humano adhibenda sunt in cognitione Veri omnia requisita; seu conditiones.

HÆc etiam Propositio est certa & evidens. Cùm enim ita à natura comparati simus, ut Anima nostra intellectu & voluntate polleat, atque intellectu quidem naturaliter tendat in verum, Voluntate appetat bonum, necesse est ut legaliter nec intellectus in cognitione, & creditione Veri, nec voluntas in appetitu boni decipiatur; decipi autem fallique potest facilè V. g. Intellectus (de quo in præsenti speciatim agimus) si illi Verum non ita, ut est in se: sed potiùs apparens ut falsum exhibeatur, & proponatur. Ne igitur decipiatur, huic incommodo non aliter obviari potest, quàm si adhibeat eo omnia, quae faciunt ad rectam cognitionem, & creditionem, seu assensum vero in se. Quænam verò illa sint Sequens Propositio dabit.

Omnia requisita in cognitione Veritatis fidei adhibenda sunt intellectui ne fallatur.

PROPOSITIO VII.

Requisita & conditiones ad cognoscendas & credendas Veritates fidei Divinæ Christianæ Orthodoxæ, ità prout credi debent, hoc est, prout sunt à Deo Veritate, Primo dictæ & revelatæ, aliquæ tenent se ex parte subjecti credentis, aliæ ex parte objecti credendi.

TUnc existimandum est Veritatem fidei cognosci & credi, non ut apparentem solùm in re autem falsitatem, quando cognoscitur & creditur ità prout est à Deo dicta & revelata: Siquidem in hoc consistit Veritas fidei ut scil. credatur seu assensus fiat dictioni Divinæ Verbo seu Scripto, seu non Scripto expressæ, ità prout Veritas prima Deus dixit seu revelavit, ut dictum est Propos. 1. Hic igitur labor, hoc opus, ut quisque fidelis sit certus, quòd scilicet hoc vel illud mysterium ei præsentetur proponaturque, ac per consequens

Requisita hæc afferuntur.

ſequens quòd huic vel illi objecto Vero ſeu myſterio fidei aſſentiatur, illudque credat ità prout Deus Veritas prima dixit ſeu revelavit: Si enim non ità credat ut Deus dixit, eo ipſo fides illa non vera ſed falſa eſt, ſeu apparenter ſolùm vera: Et in hac quidem Propoſitione facilè nobiſcum convenire Diſſidentes, nullus dubito. Reſtat igitur ut exponamus quænam illa ſint requiſita & conditiones ad cognitionem & creditionem infallibilem Veritatis fidei, ut talis, non ut apparentis falſæ.

Duplicia ſunt requiſita ſeu conditiones ad cognoſcendam & credendam Veritatem fidei.

Duplicia requiſita ſeu Conditiones ſunt ad cognoſcendam & credendam quamcunque veritatem fidei Divinæ ità prout Deus Veritas Prima dixit & revelavit. Aliqua enim ſunt quæ ſe tenent ex parte Subjecti credentis, quod revelato objecto aſſenſum præbere, actumque fidei Veræ elicere debet. Alia ſunt quæ ſe tenent ex parte objecti credendi, cui aſſenſus fidei Veræ præberi debet.

1. Ex parte ſubjecti credentis Intellectus benè diſpoſitus.

Ex parte *Subjecti* credentis requiritur inprimis ut intellectus humanus ſit naturaliter benè diſpoſitus: ſi enim ſit malè diſpoſitus ob defectum aliquem & imperfectionem cerebri, non eſt mirum ſi contingat illum in cognitione & creditione veri falli ac decipi, quin & alios decipere poſſe. Hinc jam poſito intellectu bene diſpoſito ad eliciendum aſſenſum fidei, neceſſe eſt *ſecundò* ut intellectus formet judicium rectum cognitionemque certam & infallibilem hanc V. g. vel illam Veritatem fidei eſſe à Deo Veritate Prima dictam ſeu revelatam; quod judicium ſequi poſſit firmus aſſenſus eidem Veritati ob motivum & rationem formalem, quia ſcilicet Deus *Veritas Prima dixit* ſeu *revelavit*.

2. Judicium rectum de objecto revelato.

Quia verò hic aſſenſus in fide Divina ſupernaturali, debet eſſe ſupernaturalis ideò tertiò requiritur, ut homo *deſuper à Patre Luminum* & à *Spiritu Veritatis* habeat *illuminationem* ſupernaturalem in intellectu, quâ illuſtratus & elevatus eliciat aſſenſum ſeu actum fidei veræ, quam quidem Deus ſine ulla difficultate communicat: *facienti enim quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.*

3. Illuminatio ſupernaturalis in intellectu.

Quia autem intellectus legaliter aſſenſum objecto fidei propoſito præbere nequit, niſi habeat *imperium Voluntatis*: ut docet cum Concil: Arauſicano 2. Can. 5. & Auguſtino Tract. 26. in Joan. dicente *Multa facere poteſt homo non volens, credere autem non poteſt niſi volens.* Concilium Trident: Seſſ. 6. Can. 6. aſſerens *homines diſponi ad Juſtitiam, dum* inquit, *excitati Divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes*

4. Imperium Voluntatis ſupernaturale.

dentes vera esse quæ Divinitus revelata & promissa sunt; & communiter Catholici Theologi id docent: ideò ex parte Voluntatis quoque requiritur ne pro suâ quâ pollet libertate repugnet & obsistat pertinaciter propositæ Veritati fidei, sed imperet intellectui ne dissentiat: quin assensum positivum præbeat.

Et quia hoc *imperium* non potest esse nisi Supernaturale, quia ad illud S. S. P. P. & Concilia docent requiri gratiam & adjutorium Dei speciale; hinc Arausicanum 2. Can. 5. docet, *non solùm initium fidei, sed etiam ipsum credulitatis affectum à Deo esse*, idque etiam innuit S. Thomas 2. 2. q. 2 à 9. *Ipsum*, inquiens, *credere est actus intellectûs assentientis Voluntati Divinæ ex Imperio Voluntatis à Deo motæ per gratiam*; ideò requiritur ex parte Voluntatis, ut habito adjutorio & gratia Spiritûs S. *piâ* quadam *affectione* feratur Voluntas in propositam Veritatem fidei, imperetque, ex pio illo affectionis motu Intellectui, ut tandem assensum præbeat, eliciatque actum veræ fidei supernaturalis; dicatque *credo hanc veritatem esse dictam, seu revelatam à Deo Veritate prima, & ita credo prout est dicta seu revelata.* 5. Pia affectio Voluntatis.

Quia porro adhuc quæri posset. Unde hoc tibi quòd hæc Veritas sit dicta seu revelata à DEO. Unde es certus, quòd ità omninò credas hanc Veritatem prout est dicta seu revelata à DEO? Quid si non fuerit revelata à DEO? quid si à Sathana transfigurante se in Angelum lucis? quid si solùm ab aliquo homine tradita? Quid si denique fuerit in re falsitas solùm apparente seu fucata Veritate tecta? præsertim cùm circa unum idemque objectum fidei diversi, quin oppositi à diversis possint fieri, & de facto videmus fieri assensus, idque propter unam eandemque rationem & motivum; quia scilicet Deus Veritas Prima dixit & revelavit. Et tamen cùm Veritati essentialiter competat Unitas, ut dictum, Unus ex omnibus assensus fidei debet esse Verus, ceterorum si sit dissentiens aut oppositus falsus. Unde igitur certò constabit quisnam ille unus omnium sit de facto Verus assensus fidei Veræ. i. e. ita prout Deus Veritas Prima dixit seu revelavit?

Hinc jam statuenda sunt requisita & conditiones ex *parte* ipsius *objecti* fidei quod credendum. Loquimur autem hìc de fide non privata & particulari; sed Universali Christiana Universalis Ecclesiæ, earumque omnium veritatum fidei, quas omnes fideles re vera Deus vult *corde credere ad justitiam, ore autem confiteri ad salutem.* Hæc igitur objecta seu veritates omnes ut credantur verè,

 ità

2. Ex parte Objecti credendi.

1. Ut objectum fidei sit revera revelatum.

2. Propositio objecti ità prout est revelatum.

ità scilicet prout Deus dixit & revelavit ex parte objecti, seu illarummet Veritatum requisita aliqua seu *conditiones sine quibus non* necessariæ sunt. Inprimis quidem ut revera & de facto *objectum fidei sit dictum & revelatum à DEO?* aliàs, si non sit revelatum verè à DEO, quo pacto circa illud fides vera dari poterit? Secundò requiritur *Propositio*, ità ut est revelatum, ipsius *objecti* seu Veritatis fidei: *fides enim ex auditu, auditus ex prædicatione* juxta Apostolum Rom. 10. Quando itaque Veritas fidei proponitur ità, ut est à DEO dicta & revelata tunc intellectus illi præbet assensum verum, estque tunc fides vera: quando antem non ità proponitur, ut est revelata; tunc sequitur fides solùm apparens vera, in re autem omnino falsa.

Propositionem hanc objecti revelari à DEO omnino ad fidem requiri probatur rationibus.

1. Quia fides est argumentum rerum non apparentium.

Idque certum omnino est inprimis ex obscuritate & objecti seu Veritatis revelatæ & revelationis. D. Paulus enim Heb. 11. vocat *fidem argumentum rerum non apparentium* seu ut Arias Mont. ex Græco πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, *argumentum rerum non conspectarum*. Etenim neque objectum revelatum seu Veritas fidei in se conspicitur, neque etiam revelatio ipsa ejusdem evidenter cognoscitur, ut emanans à DEO, nec ipse DEUS ut revelans & testificans: ideò necesse est, ut totum objectum seu Veritas fidei credenda, & revelatio ejus aliunde proponatur, & offeratur intellectui, ut circa illam versari & assensum verum præbere valeat.

2. Quia sine hac propositione Voluntas assensum fidei intellectui haud potest imperare.

Deinde assensus fidei licet sit actus intellectus, à voluntate tamen tanquam à movente, impellente seu imperante dependet, ut diximus immediatè. Cùm autem Voluntas non possit ferri in incognitum, *nihil enim volitum nisi prius sit cognitum*, necessariò ante Voluntatem imperantem assensum præcedere debet, aliqua cognitio objecti sui Veritatis fidei quam Voluntas imperet intellectui credendam. Cognitio autem hæc præcedere non potest nisi priùs proponatur intellectui objectum seu Veritas fidei ut honesta seu amabilis, & rationi consentanea; adeòque ut credibilis & fide digna. Igitur necessariò requiritur ut proponatur objectum seu Veritas fidei, ita prout revelata est à Deo, quâ sufficienter proposita, atque ab intellectu cognita Voluntas, possit imperare assensum, atque tum demum sequatur assensus illi objecto seu veritati fidei à Deo revelatæ.

3. Quia alias sine hac pro-

Denique assensus objecto seu Veritati fidei non potest esse Verus, nisi sit etiam prudens seu rationabilis, monente Apost. *rationa-*

tionabile sit obsequium Vestrum, si quodcunque tantò magis fidei: etsi enim fides de qua hic divina sit supra rationem, quia supernaturalis, non tamen contra seu repugnans, quin consentanea rationi; adeòque rationabilis. Rationabilis autem esse non potest, nisi constet intellectui nostro, certò & infallibiliter quòd Veritas fidei sit verè revelata à DEO: Hoc autem constare non potest, nisi aliunde intellectui proponatur, ita omninò & non aliter veritatem fidei revelatam esse à Deo. Quæri enim posset à credente Veritatem fidei: vel id quod hæc Veritas sit revelata à Deo ita prout tu credis habes à temetipso vel ab alio? Sic Christus D. Pilatum interrogantem *Tu es Rex Judæorum* allocutus est; *à temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me*, Joan. 18: 34. neque enim datur tertium quid? quid enim illud? Non autem id habes à temetipso, unde enim tibi de hoc? unde & mihi persuadebis quòd id à temetipso habeas? Et dato id te à temetipso habere, unde me certum facies, quod in eo non erres? cum omnis homo ex naturâ sua, seu à semetipso sit mendax. Ergo id debes habere ab alio. Ergo à Proponente. Igitur necessaria omnino est conditio sine quâ non ex parte objecti seu Veritatis revelatæ à Deo, Proponens, quòd objectum seu Veritas fidei sit, verè à DEO revelata, ut assensus fidei sit prudens & rationabilis: idque talis Proponens esse debet, qui sit certæ & infallibilis Autoritatis, ut neque ipse decipi aut falli, neque alium decipere seu fallere possit, nimirum non aliter objectum seu Veritatem fidei proponendo, quàm ita prout est re vera à DEO revelata: id quod sequenti Propositione declarabimus.

positione assensus fidei non esset rationabilis.

PROPOSITIO VIII.

AD cognoscendas & credendas fide Divina certò & infallibiliter Veritates fidei, ita prout sunt revelatæ à Deo debet esse omnino aliquis Proponens easdem per modum alicujus Regulæ infallibilis autoritatis, distinctus ab ipso Deo revelante.

Et in hac Propositione non difficulter nobiscum convenient Dissidentes, si præsertim rationum momenta perpenderint.

Porro duo hac Propos. veniunt demonstranda primo quòd debeat dari Proponens objectum seu Veritatem fidei revelatam à Deo distinctus ab ipso DEO revelante. Idque secundo per modum Regulæ infallibilis autoritatis atque in primis.

Proponens Veritatem fidei non est ipsemet Deus ordinariè.

Certum est quòd *Proponens objectum seu Veritatem fidei immediatè non sit Deus ipse ordinariè*, etsi id extraordinariè possit facere ac interdum fecerit.

Extraordinariè quidem scil: in certis casibus & eventibus de facto Deus per semetipsum immediatè Veritates fidei proposuit, idque particularibus personis & in tribus casibus ut rectè advertit. Franc: Suarez de Tripl. Virt: Theol: m. p. 65. Primus Casus seu eventus dici potest *necessitatis*; sic enim dixit D. Thom. 3. cont. Gentes Cap. 154. necessarium esse ut interdum Propositio fidei à Deo immediatè fiat: nam si fides tradatur per aliquem Ministrum Dei, necessarium est ut ille sit doctus ab alio, de quo quia quæri potest à quò sit doctus? ne procedatur in infinitum, necessarium est pervenire tandem ad aliquem, qui sit immediatè doctus, à Deo. Et hoc modo proposuit DEUS immediatè primas Veritates seu mysteria ab Angelis ante visionem beatificam credenda, Primo ac Supremo Angelo & per eum ceteris suo ordine, juxta sententiam D. Dionysii Areopagitæ c. 4. de Divinis Nominibus, quem sequuntur Theologi Orthodoxi: Deus enim illuminat infima per media & media per superiora. Procedit autem hic discursus, inquit Suarez, quando Minister Dei *per fidem* tantùm suscepit doctrinam quam aliis tradit: Posset enim primus prædicator fidei doceri à Deo per scientiam infusam, vel beatam, & tunc non esset necessarium proprium objectum fidei quatenus tale est, alicui proponi immediatè, sed solùm ut *objectum scientiæ* vel Visionis, & hoc modo Christus D. immediatè fidem aliis proposuit, quamvis illi nulla sit facta propositio fidei, quia fidem non habuit, sed Visionem & scientiam.

Extraordinariè est in tribus casibus.

Necessitatis.

Dignationis, seu Specialis dispensationis.

Secundus Casus seu Eventus est *Dignationis* seu *Specialis dispensationis*, in quo Deus immediatè proposuit fidei Veritates. Et talis fuit Propositio per Christum D. facta de qua Paul. Hebr. 1. *Olim Deus Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio*, i. e. per Filium, & hoc est, quod Is. 54. prædictum erat. *Dabo filios tuos doctos à Domino*: propter quod dixit Christus D. Joan. 6. *Scriptum est in Prophetis erunt omnes docibiles Dei* ut notat Hieron. ad dictum locum Is.

Specialis Privilegii.

Tertius Casus vocari potest *Specialis Privilegii*. Quale Paulo concessum est, qui de se ait, quòd Evangelii doctrinam non acceperit *ab hominibus*, neque *per hominem* sed per Jesum Christum ad Gal. 1. & fortasse hoc Privilegium concessum fuerat Moisi,

Davidi, & aliis eximiis Prophetis, quamvis juxta Doctrinam D. Dionysii & Theologorum probabiliùs sit omnes illas revelationes factas esse ministerio Angelorum. Hinc jam

Assertum 1. Proponens Veritates fidei ordinarie est distinctus à Deo revelante.

Assero 1. *Proponens objectum seu Veritatem fidei ordinariè est aliquis distinctus à DEO revelante.* Idque

Probatur 1. Ecclesia in statu Legis naturæ.

Probatur 1. Ecclesiâ illâ quæ fuit in statu Legis naturæ. In hac Ecclesia præcipuæ quædam Veritates fidei erant fidelibus revelatæ creditu necessariæ sub salutis æternæ interminio. Primò quòd Deus sit Unus & Verus, Creator omnium atque gubernator. Secundò quòd sit Remunerator bonorum & malorum. Etenim D. Apost. absolutè enuntiat, *accedentem ad Deum, oportet credere, quod sit & quòd remunerator sit* Heb. 11. 6. Quod proinde semper verum esse debet non solùm in statu Legis gratiæ, sed etiam Legis scriptæ & naturæ. Tertiò quòd idem Deus sit Omniscius, Omnipotens, æternus, immensus &c. Quartò. Quòd ex semine mulieris quæ semper Virgo futura nasciturus fuerit filius Dei hominum Salvator: Qua de re legitur singularis historia, apud Joan: Gerbrandum Lib. 21. Chron. Belg. C. 26. Anno 1374. cùm Latomi Saraceni & Christiani jussu Sybillæ Reginæ Ungariæ de licentia Soldani Babyloniæ foderent in Valle Josaphat, invenerunt tumulum de lateribus compositum & aperientes invenerunt cadaver miræ magnitudinis integrum cum barba prolixa & capillis maximis, cum pellibus ovinis & integrum sepultum, & super caput ejus invenerunt tabulam in qua literis concavatis ad modum sigilli hebraicè inscriptum fuit sic. *Ego Seth tertiogenitus filius Adæ credo in Jesum Christum Filium Dei, & in MARIAM Virginem Matrem ejus de lumbis meis Venturos.* Et longè ante Anno C. 782. effossa est Constantinopoli lamina aurea, in eaque homo jacens cum hac inscriptione: *Christus nascetur ex Virgine Maria, & credo in eum: sub Constantio & Irene Imper: ô Sol! iterum me videbis.* Apud Gault. Chronogr. Seculo VIII. Quintò. Credere insuper debebant post hanc vitam mortalem dari aliam immortalem in felici aut infelici æternitate. Hæ sunt præcipuæ Veritates quas fideles in Lege naturæ credere tenebantur sub salutis æternæ periculo. Atqui has Proponens eisdem non erat ipse Deus immediatè, neque enim cum unoquoque immediatè loquebatur, sed potiùs Parentes filiis proponebant, eosque docebant, & sic per continuam successionem ac traditionem fides ad posteros deveniebat. Et hoc modo Adam quidem immediatè à Deo has veritates ac similes didicit,

cas-

easdem verò proposuit filiis suis, hi item suis filiis ac sic per consequens continua traditione usque ad Noë ab hoc usque ad Abraham, cui novam & Legem & Veritatem credendam tenendamque posteris Deus immediatè tradidit nim: Legem Circumcisionis, quæ scil: foret peccati originalis remedium, & simul signum promissionis Messiæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, ex ejusdem semine. Quam deinde Abraham ipsemet posteris esset propositurus. Unde Genes. 18. 19. dicitur *scio quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se.*

Probatur 2. Ecclesia legis Scriptæ.

Probatur 2. Ecclesiâ quæ fuit in Lege Scripta sic; In primis Moisi quidem Deus immediatè præter dictas, alias Veritates fidei & Morum tradidit, quas deinde ipse populo Hebræo, postmodum in hoc Patres filiis proposituri erant. Unde Exodi 14. dicitur *Crediderunt Deo & Moisi servo ejus.* Scil. Deo ut immediatè revelanti & loquenti cum Moise, Moisi autem ut sufficienter proponenti revelationem DEI. Unde etiam Deut. 6. additur *Eruntque Verba hæc in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis.* Item Deuter. 32. 7. *Interroga Patrem tuum & annúntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi.* Item. Jud. 6. 3. *Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres nostri:* & Psal. 34. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis. & Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii* qui *nascentur & exurgent narrabunt filiis suis.*

Deinde subsequentibus temporibus sæpe Deus per Prophetas loquebatur & novas Veritates à se revelatas proponebat eidem populo Israëlitico credendas. Unde Jerem: c. 6. 16. *Hæc dicit Dominus state super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis* &c. & clarius Lucæ 1. *Sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum ejus.* & Hebr. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Unde etiam Liber seu Lex Moisis in qua præcipua descripta fuerant quæ credenda & agenda, non erat communis omnibus, sed tradidit *eam Sacerdotibus* & *Senioribus Israël*, quæ Lex *septimo anno remissionis* populo prælegi debebat Deut. 13. 9. *ut audientes*, inquit, *discant & custodiant, impleantque omnes Sermones Legis hujus, filii quoque eorum qui nunc ignorant ut audire possint, & timeant D. Deum.* Deinde cùm Sacerdotes in eo Libro Legis custodiendo adeò negligentes fuissent, ut longo tempore amissus fuerit, tandem ab Helcia Pontifice tempore Josiæ Regis inventus, & populo prælectus 2. Paral: 34. 14. Esdras quo-

que

que Sacerdos ex eodem Libro Verba Legis distinctè populo legit & explicuit facto per Levitas silentio 2. Esdræ 8. Quæ omnia quid aliud denotant, quàm quòd Proponens Veritates fidei in Lege scripta fuerit distinctus ab ipso Deo revelante & testificante.

Probatur 3. Ecclesiâ novæ Legis gratiæ. In hac inpr. missus est Joannes, *ut omnes crederent per illum.* Joan. 1. Postea verò Deus ipse per humanitatem assumptam proposuit & docuit Veritates fidei *novissimè locutus est nobis in Filio* Hebr. 1. Deinde misit Apostolos dicens, *Ite in mundum universum, prædicate omni Creaturæ* Matth. ult. & Act. 1. *Eritis mihi testes usque ad extremum terræ.* & Psalmista Ps. 18. 5. de illis, *In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Post Apostolos necesse est ut itidem Proponens Veritates fidei distinctus à Deo revelante fuerit, sitque etiamnum usque ad finem mundi; id quod declarat D. Paulus qui ait *fides ex auditu auditus autem per verbum Christi*, certè non insensibile sed sensibile: nam subdit, *Quomodo* autem *audient sine prædicante, & quomodo prædicabunt nisi mittantur* Rom. 10.

(Probatur 3. Ecclesiâ Legis gratiæ.)

Probatur 4. Ex suavi ordine & dispositione Divinæ Providentiæ, quæ utique *disponit omnia suaviter* Sap. 8. 1. ut scil: homines per homines doceantur, sicut ad Cornelium missus est Petrus Act. 1. ad Eunuchum Philippus Act. 8. Paulus primò ad Ananiam Act. 9. etsi postea ab ipso Christo D. sit edoctus. Quem ordinem Dei providentiæ expressit D. Aug. Lib. cont. Ep. fund. c. 4. & 14. dicens *sicut Deus immediatè creavit unum hominem, & ab illo ac per illum producti sunt ceteri successione continuâ; ita in fide per se instruxisse Deum quosdam homines, à quibus alii docerentur.*

(Probatur 4. suavi dispositione divinæ Providentiæ.)

Probatur 5. ex congruentia consensionis & Veritatis in fide conservandæ inter homines. Nam si Veritas fidei haberi non posset nisi per immediatam Dei propositionem, unusquisque præsumere posset sibi factam propositionem, fieretque sibi regula fidei. Atque ita facilè *Angelus Satanæ transformaret se in Angelum lucis*, & inde nascerentur infinitæ divisiones & Schismata, quia non tenerentur homines dare fidem exteriori doctrinæ proponentis, sed propriæ interiori imaginationi.

(Probatur 5. ex Congruentia consensionis & Unitatis in fide conservandæ.)

Assero 2. *Proponens Veritates Fidei à Deo revelatas distinctus à Deo revelante debet esse per modum regulæ infallibilis autoritatis, quo scilicet nec ipse falli, nec alios fallere possit in proponendo.*

(Assertum 2. Proponens Veritates fidei distinctus à Deo revelante debet esse infallibilis.)

Probatur 1. ex dictis quia omnes Proponentes Veritates fidei, tam in Lege naturæ, quàm scripta, atque gratiæ tales fuerunt. Hinc

(Probatur 1. ex dictis.)

Deus comminabatur populo si non audirent Proponentes Prophetas & Doctores Isaiæ 28.14. ibid. 30.3. Jer. 7.13. Ezech. 33.33. &c.

Probatur 2. ex Dei suavi Providentia.

Probatur 2. Quia ad Dei suavem Providentiam spectabat, ut sicut ordinavit ordinariè proponendas Veritates fidei non per semetipsum immediatè, sed per homines ut dictum; ita ut iidem essent infallibilis autoritatis in proponendo. Et hoc argumento usus est D. Augustinus contra Manichæos præferentes rationem humanam fidei; de Utilit. cred. ad Honor. *Si Providentia*, inquit, *Dei non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; Sin autem præsidet, non est desperandum ab eodem ipso Deo Autoritatem aliquem constitutam esse, quâ velut gradu certo attollamur ad DEUM.* Et hanc ipsam Autoritatem Proponentis, ait Saluberrimam esse Viam ad percipiendam Veritatem; adeòque quasi viam Regiam, tutam, nec erroribus ac deviis subjectam. *Quæ potest*, inquit, *esse via salubrior, quàm idoneus fieri percipiendæ Veritati; adhibendo iis fidem, qui ad præcolendum, & præparandum animum sunt divinitus constituti.* Hanc porro ipsam Autoritatem non alibi quàm in Ecclesia Catholica sedem habere intento velut digito demonstrat dùm ait. *Cum igitur tantum auxilium Dei profectum fructumque videamus, dubitamus nos ejus Ecclesiæ gremio condere, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ejusque judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum Majestate damnatis culmen Autoritatis obtinuit. Cui nolle primas dare vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Cap. 17. & paulò post. *Quid est aliud ait, ingratum esse opi auxilioque divino quàm tanto robore præditæ Autoritati velle resistere:* Idem porro demonstrat tali Autoritate carere omnes alias Dissidentes à Catholica Ecclesias. tum hic C. 12. *Vos autem tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum Autoritate proferatis.* tam. ep. 56. *Jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum autoritas cum Autoritate Catholica conferatur.*

Probatur 3. quia Proponens non suo sed Dei nomine Verit. fidei profert.

Probatur 3. quia Proponens hic non suo nomine sed ipsius DEI debet Veritates fidei proponere. Ergo necesse est ut sit infallibilis autoritatis. Qui enim nomine Dei aliquid proponit eo ipso supponitur habere communicatam sibi ipsius DEI Vicariam autoritatem & potestatem. Sic legatus nomine sui principalis v. g. Regis aliquid loquens vel tractans habet eo ipso majorem autoritatem & po-

& potestatem vi characteris quem gerit, quàm quæ illi ab ipsiusmet persona privata competat. Ita in præsenti Legatum quodammodo agit Proponens Veritates fidei dicente Apostolo *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos* 2. Cor.. 5. 20. necesse igitur est ut habeat Vicariam autoritatem ejus à quo mittitur Dei. Quod autem hic Proponens non suo sed Dei nomine Veritates fidei proponere debet, patet tum ex eo, quia passim Prophetæ id testabantur dum Veritates fidei sibi revelatas proponebant dicendo. *Hæc dicit Dominus, Hoc dicit Dominus DEVS exercituum*, quo dicendi modo significabant se non suo, sed Dei nomine proponere Veritates revelatas. Tum, quia ipse Deus testatur se verba sua in ore Prophetarum dedisse se quoque per os illorum loqui sic ad Jeremiam. *Ecce dedi verba mea in ore tuo* Jer. 1. 10. Item *loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi.* 17. *quia ego tecum sum* 19. Sic & in Novo Testamento Christus D. *dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere.* Luc. 21. 15. Item *non enim Vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris Vestri qui loquitur in Vobis* Matth. 10. 20. & D. Paulus *qui loquitur in nobis Christus* 2. Cor. 13. 3. & de Stephano Act. 6. 10. *non poterant resistere Spiritui qui loquebatur in illo.* Tum quia hic Proponens ipsius Dei vices obit, quia illo mediante Veritates suas proponit Deus. Unde hic Proponens potest dici Os Dei seu Oraculum per quod Deus Veritates suas profert. Adeoque inde patet quod debeat habere autoritatem plus quàm humanam, quia quodammodo Divinam utp. Vicariam ipsius Dei ac per consequens debet esse per modum regulæ infallibilis.

Probatur 4. Quia fides *ut sic* seu Omnis fides fundat sese in Autoritate dicentis seu proponentis tanquam Principii: in quod resolvitur, ut patet tum ex dicto illo D. Pauli *fides ex auditu, auditus autem per Verbum* scil: dicentis, seu prædicantis adeoque proponentis. Unde si quæras ex fideli quare credis hanc veritatem? respondere debet, quia audivi. Unde audivisti? per verbum prædicantis; addit enim Apost. *quomodo audient sine prædicante?* seu quod idem est sine proponente. Tum quia D. Augustini effatum est, de mor. Eccl. c. 2. *Ideò naturæ ordo ita se habet, ut cùm aliquid discimus rationem præcedat Autoritas.* Idque patet etiam Inductione: sic fides Angelica fundatur in autoritate proponentis Angeli superioris inferiori, qui ab illo illuminatur, ut sup. diximus ex D. Dionysio. Sic fides humana in autoritate dicentis hominis: Homini enim dicenti seu proponenti aliquid credo & assen-

Probatur 4. Quia omnis fides fundat se in autoritate dicentis.

tior, quia nim: id dicit aliàs vir probus vel doctus, veridicus nec fallax, habens testimonium ab aliis bonum de vita & moribus &c. adeoque credo propter autoritatem dicentis. Igitur & fides Divina infundari debet autoritati infallibili proponentis: tanquam Principio seu rationi formali in quam resolvatur, idque multò magis seu à fortiori; est enim Supernaturalis, tum quia versatur circa objectum materiale, hoc est Veritatem seu mysterium supernaturale, tum quia ex objecto formali seu motivo intrinseco summo itidem supernaturali, nempe revelatione Divina: tum quia ad illam concurrit auxilium Dei supernaturale. Cùm igitur fides hæc Divina sit summa & supernaturalis excedens omnem naturalem: si hæc fundatur in autoritate aliqua moraliter saltem non fallibili: multò magis illa fundabitur in autoritate Proponentis infallibili, adeoque plus quàm humana, sed quodammodo Divina quæ sit per modum Principii seu Regulæ fidei.

Probatur 5. ex Certitudine fidei quæ debet esse maxima.

Probatur 5. quia Fidei Divinæ certitudo debet esse summa, quæ scil: excedat omnem certitudinem seu moralem, seu physicam, seu metaphysicam: quia est Supernaturalis, ut immediatè dictum; summa autem non esset, si Proponens non esset autoritatis infallibilis. Ut enim sit summa certitudo debeo esse certus quòd hæc Veritas sit verè à Deo revelata: debeo item esse certus quòd eadem mihi ita omninò proponatur prout verè est revelata à Deo: quòd item hic proponens nec ipse fallatur, nec me fallat proponendo illam revelatam à Deo. Item quòd alius proponens oppositam Veritatem & asseveranter dicens à Deo esse revelatam, & ipse fallatur & alios fallat, in falsa vel apparente solùm veritate proponenda. De his itaque omnibus certus omni possibili modo esse debeo; aliàs si circa hæc sim dubius, titubans, nutans, aut hærens num aliquid horum certum sit, nec ne? fides mea seu assensus alicui Veritati propositæ nullo modo erit certus & infallibilis summa certitudine quæ cogitari potest.

Patet igitur ex his Veritas adductæ Propositionis, quod ad cognoscendas & credendas Veritates fidei esse verè à Deo revelatas debeat dari aliquis proponens distinctus ab ipso Deo revelante per modum regulæ infallibilis autoritatis. Jam inquirendum est quisnam sit iste Proponens.

MANUDUCTIO II.

Quisnam sit hic Proponens? Hanc unica Propositione absolvemus.

PROPOSITIO UNICA.

Proponens Veritates fidei verè à Deo revelatas per modum Regulæ infallibilis autoritatis est Ecclesia Catholica.

PRinceps ac præcipua inter Polemicas Quæstiones est. Quisnam sit ille infallibilis autoritatis proponens fidelibus Veritates fidei esse dictas Verè seu revelatas à Deo. In quo Proponente si utrinque conveniamus facile conveniemus & in aliis particularibus Quæstionibus: hæ enim ab illa pendent.

Et hic quidem Proponens non est 1. quisquam homo particularis & privatus: Homo enim privatus est fallibilis, quia *omnis homo mendax.* Deinde possent plures privati sibi Proponentis autoritatem & personam assumere, atque diversa, quin etiam opposita proponere: cui igitur potior Proponentis autoritas attribuenda foret? dubium contraversumque esset. Adhæc Proponens hic privatus vel suo proprio nomine seu autoritate proponeret Veritates fidei, vel alicujus alterius, diversi à se; idque etiam adhuc vel privati hominis, vel publica altiori pollentis autoritate. Non primum dici potest, quia sic spectatus proponens est fallibilis. Non secundum quia sic etiam spectatus uterque est fallibilis. Si dicas tertium, Ergo suprema autoritas Proponentis, non privato; sed illi cujus publica autoritate proponitur Veritas, competet ratio Proponentis per modum regulæ infallibilis autoritatis. Unde quisquis privatus suo privato nomine & autoritate Veritates fidei proponit, merito haud est audiendus; sic enim est fallibilis. Si autem nomine ejus qui publica altiori pollet autoritate, non est æqua ratio, ut tali non detur fides. Sic Joan. 4. 39. dicitur de Samaritanis *ex civitate autem illa multi crediderunt in eum* (*JESUM*) *Samaritanorum, propter Verbum mulieris testimonium perhibentis.* Quod ipsum testimonium mulieris non fundabatur in illius propria privata autoritate, sed ipsius D. JESU, addit enim Evangelista

Proponens Veritates fidei 1. non est aliquis privatus & particularis homo.

ista Verba mulieris, *quia dixit* (JESUS) *mihi omnia quæcunque feci*: & infra Samaritani dicebant mulieri, *quia non jam propter tuam loquelam credimus*. Non igitur quisquam privatus homo potest esse Proponens Veritates fidei per modum regulæ infallibilis.

Non secundo Verbum DEI scriptum secundùm se.

Non etiam secundo potest esse ipsum secundùm se spectatum Verbum Dei scriptum. Etenim hoc ut ait S. Petrus 2. Ep. 1. *Spiritu S. inspirati locuti sunt S. DEI homines, nec propria fit interpretatione* ideo debet distinctus ab illo dari Proponens qui illud juxta Spiritum S. interpretetur. Præsertim cùm à Variis Variè, imo & opposite exponatur, explicetur, appliceturque Articulis fidei, ut jam toties dictum, tum hic, tum parte I. & II. Scrutinii. Debet igitur omnino dari distinctus à S. Scriptura; qui fidelibus exponat, & proponat unum & determinatum Verum Scripturæ S. sensum, adeoque quod hæc vel illa Veritas fidei sit hoc vel illo Scripturæ S. loco ac sensu à DEO dicta & revelata.

Non tertio Spiritus S. ipse seu in se, seu extra Scripturam in aliquo privato homine spectatus.

Tertio Proponens hic non potest esse Spiritus S. ipse seu in S. Scriptura, seu extra Scripturam Spectatus, ut probatum est Scrutinii Part. II. Declarat. 4. p. 191. & seq. præsertim, quia de facto nullus est Dissentientium, qui non attribuat sibi Spiritum S. & tamen non conveniunt in articulis fidei. Apparet itaque non ipsum Spiritum S. sed unumquemque qui sibi Spiritum S. vendicat & adscribit esse proponentem dictionem Dei, secundùm proprium sensum *prout suus cuique autor est animus* ut ait August: Scripturam S. explicando & articulis fidei applicando. Etenim Spiritùs S. est semper idem & uniformis, nec sibi contradicens: cùm igitur tanta contradictio in exponenda S. Scriptura inveniatur inter eos, qui se è mente Spiritûs S. explicare eandem autumant. Necessariò consequitur eandem non à Spiritu S. sed ab ipsismet qui illum sibi adscribunt provenire, adeoque unumquemque in sua secta & Religione esse Proponentem dictionem seu revelationem DEI: hinc jam sequitur.

Sed est ipsa Ecclesia Catholica, à Spiritu S. edocta.

Assertio Catholica, quòd *Proponens hoc vel illud determinatè DEUM Veritatem primam & essentialem revelasse, & dixisse, non est alius infallibilis autoritatis quàm Ecclesia Catholica* à S. Spiritu edocta, ita ut Verbum DEI scriptum asseramus esse dictionem seu revelationem DEI: quòd autem hic vel ille articulus seu Veritas fidei sit dicta seu revelata à Deo hoc vel illo determinato Verbi Dei scripti loco seu textu, hoc item vel illo determinato sensu,

Dictio seu revelatio DEI & Ecclesia Catho-

ſenſu, intellecto & expoſito: hoc non alius proponat, neceſſe eſt, quàm ſola Eccleſia Catholica. Unde patet his duobus Principiis totam Veritatum fidei Veræ & Chriſtianæ Orthodoxæ Structuram & Oeconomiam, ut ità dicam, infundari velut duobus firmamentis. Nimirum primum. Deus dixit ſeu revelavit in Verbo ſuo. Secundum. Quod autem DEUS dixerit ſeu revelaverit, Eccleſia Catholica proponit & docet: Igitur credendum. Hinc vera fides oritur. Eſtque hoc Primum Principium formale intrinſecum minùs tamen notum ex terminis. Secundum autem formale itidem extrinſecum intrinſecè & eſſentialiter neceſſarium magis notum ex terminis, illius applicativum. Illud aliter dicitur Regula ſeu Norma quodam modo paſſiva: Secundùm Regula activa, ſeu Regulans, Os, Interpres Magiſtra infallibili autoritate Vicaria Chriſti docens, proponens, explicanſque dictionem DEI adeoque Judex tam fidei, ſeu Credendorûm quàm morum ſeu agendorum. Et hoc eſt quod ſub unum veluti ictum oculi & mentis in I. Parte Scrutinii ad pag. 88. in Schem. 2. jecimus: Hoc item in Parte II. §. 2. pluribus argumentis declaravimus nim: 1. ex Analogia Regulæ, & infallibilitate fidei: 2. ex Vicaria Magiſtra autoritate & poteſtate à Chriſto D. Eccleſiæ ſuæ communicata & revelata: 3. Ex ultimo fidei reſolutorio, 4. Inſuper perpetua Praxi & uſu Orthodoxorum. Ex Vincentio Lirinenſi: denique 5. confirmavimus, ex Doctore Regiomontano Chriſtiano Dreyero. Poteſt eadem Veritas plurimis adhuc invictis & convictivis ſimul Argumentis firmari: quæ hocce loci apponere haud obfuerit: Cardo enim totius quod pertractamus negotii in ea Veritate vertitur, ideoque ſolidis firmanda rationum momentis, ſit igitur.

[Margin: lica proponens illam ſunt duo Principia fidei Veræ Chriſtianæ.]

ARGUMENTUM I.

Ex obſcuritate S. Scripturæ.

S. SCripturæ Obſcuritas duplici modo conſiderari poteſt. Primo *quo ad nos*. Secundo *quoad ſe*. Et *quoad nos* quidem obſcuram eſſe S. Scripturam nemini eſt dubium, ob Intellectus noſtri imbecillitatem, & obfuſcatum *Lumen Vultus DEI ſuper nos ſignatum* p. 5. 4. per transgreſſionem Divini Præcepti primorum noſtrorum Parentum. *Quoad ſe* porro S. Scriptura poteſt ſpectari etiam dupliciter. I. Secundum quod illius primus Autor & Dictator eſt ipſe DEUS, & Spiritus S. *non enim Voluntate humana alla-*

[Margin: Obſcuritas S. Scripturæ duplex 1. Quoad nos 2. quoad ſe.]

[Margin: Quoad ſe porrò duplex eſt 1. ſecundum quod illius pri-]

mus Autor & Dictator est Deus.

Sic non est obscura.

allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti DEI homines. 2. Pet. 1. 21. Sic non est dubium Verbum DEI seu S. Scripturam esse clarissimam. DEUS enim dicens & docens Prophetas Virosque Sanctos Scriptores Locutionis & Verbi sui Divini est in se Fons lucis, origo claritatis, *Splendor Gloriæ lucem inhabitans inaccessibilem* Tim. 6. 16. *apud quem non est commutatio, nec Vicissitudinis obumbratio* Jac. 1. 17. *Quoniam DEUS lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ* 1. Joan. 1.

2. Obscuritas Scripturæ quoad se spectari potest secundùm locutionem & Verba quibus SS. Dei servi expresserant Locutionem DEI sibi factam.

Sic spectata Scriptura est obscura.

Idque probatur quia multa figuratè & tropicè loquuntur. Profunda & abdita mysteria adferunt.

In Veteri Testamento Mysterium SS. Trinitatis, Divinitatis Christi, Ecclesiæ novæ.

In nova Lege Christus D. multa mysteria sub involucris dixit.

Unde quando DEUS Prophetis aliisque SS. Viris per se ipsum immediate locutus est, non est dubium quin locutionem illam sensumque ac mentem DEI clarissime intellexerint, ad quam clarissimam intellectionem hamana mens alias per peccatum obscurata ab ipso DEO prædisponitur. Unde Apostoli multa non intelligebant clare, quæ ipsis Christus D. dixerat ante passionem: *quia nondum acceperant Spiritum S. per* quem illorum mens disponenda & illustranda fuerat: *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia* &c. Joan. 14. Deinde *quo ad se* S. Scriptura spectari potest, secundum Locutionem seu verba & sententias, quibus Sancti servi DEI exararunt & expresserunt Dictionem Locutionemque DEI seu revelationem sibi factam, sic non est dubium quod multis locis non sit adeo clara, quin potius obscurà; multa enim figurate & Tropice loquebantur; profunda quoque & abdita mysteria, & captu humano difficilia, vel non poterant claris verbis exprimere ob defectum verborum, quibus clare exprimi possent: vel quia DEUS noluit illa clare expressa, ob altissimas suas rationes, præsertim ne ab infirmis aut etiam perversis mentibus in alium detorquerentur Sensum. Sic in Veteri Lege describitur quidem adoranda SS. *Trinitas Personarum, Divinitas Christi D. Ecclesia nova* à Christo D. fundanda, & cetera similia; sed haud disertis & claris verbis, ob eam præsertim inter alias causam, ne Judæi in Trinitate Personarum Tres Divinitates agnoscerent: ne Verbi DEI Incarnationem rem impossibilem crederent, utpote quæ postquam adimpleta est. *Scandalum illis fuit*; ne denique ob mutandam & auferendam suam Ecclesiam novamque fundandam scandalizarentur, atque in ipsum DEUM quodammodo excandescerent. Sic & in nova Lege ipse Christus D. multa Discipulis suis Mysteria sub involucris dixit, adeo ut dicatur, *& illi nihil horum intellexerunt: & erat Verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur* Luc. 18. 34. & Joan. 20. 9. *Nondum*

dum enim ſciebant ſcripturam. Et Petro JESUS ait: *Neſcis modò ſcies autem poſtea* Joan. 13. 7. eò quod tùm primùm quando Spiritum S. accepturi erant, omnia à Chriſto D. dicta & propoſita myſteria clarè percepturi forent, juxta id quòd ipſemet Dominus ait: *Ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Joan. 14. 26.

Sic ut ceteros Novæ Legis libros prætercam? Apocalypſim quis non videt ut myſteriorum abditorum, ita obſcuritatis plenam? Eo quòd futurorum in Eccleſia Chriſti ſit prænuntia, quam non ità clare fidelibus patere voluit ille Magni Conſilii Angelus ob rationes nobis ignotas: de quo opere D. Hieron. *Non intelligunt Judaizantes totum volumen Joannis, quod revelationis titulo prænotatur eſſe myſticum, & revelatione nos indigere, ut poſſimus cum Propheta dicere: Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua* &c. Lib. 11. Com. in cap. 38. Ezech. adeò ut multorum diſſidentium temeritas merito ſit demiranda, quod ſeſe huic intranabili pelago commiſerint, ejus novas prorſus inauditaſque nulla SS. PP. autoritate firmatas, plenaſque pſeudologiarum præſertim de Antichriſto beſtia &c: expoſitiones adferentes. Quibus tamen ſilentium impoſuit cùm alii, tum nuper Autor Libri *Finis hæreſium & bellorum gemellorum fratrum Phaëtontium* &c. Liber Apocalypſeos admodum obſcurus.

Cauſas autem obſcuritatis hujus S. Scripturæ aliquas exprimit S. Auguſt: *Quod totum*, inquit, *Divinitus eſſe proviſum ad edomandam labore ſuperbiam & intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque vileſcunt.* Lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 6. S. quoque Hieronymus aliquas ejuſdam obſcuritatis Scripturarum cauſas adducit, uti *ob typos & Myſteria futurorum* Epiſt. 151. ad Algaſiam, & Lib. 6. Com. in 18. cap. Iſajæ. Item *Prophetas ideò obſcuros* ait: *quia perſonæ in his plurimæ commutantur.* L. 5. Comm. in Cap. 21. Iſ. Denique *ex rei magnitudine* obſcuras ait: Lib. 12. Com. in C. 41. Ezech. Non attingo hic cauſas quas ille etiam adducit 16. *Doctoris imperitiam*, Vel *audientis duritiam: alibi ait, ob diſcentis nimiam tarditatem* L. 1. Com. in C. 2. Oſeæ: hæc enim Cauſæ ſunt obſcuritatis ſolùm reſpectu Noſtri, non reſpectu ipſius Scripturæ. Cauſæ obſcuritatis S. Scripturæ ex Auguſtino & Hieronymo.

Porro obſcuram eſſe S. Scripturam ex ipſiuſmet S. Scripturæ pluribus locis probari poteſt. D. Petrus 2. ep. 3. teſtatur in *Epiſtolis D. Pauli quædam eſſe difficilia intellectu; Quæ*, inquit, *indocti homines & inſtabiles, ſicut & ceteras Scripturas depravant ad ſuam ipſorum* Probatur S. Scripturam obſcuram eſſe ex ipſiuſmet S. Scripturæ Locis

rum perditionem. Idem cum inquiat, *Scripturas propria interpretatione non fieri* 2. 1. 20. eo ipso ostendit esse obscuras. Item D. Paulus 2. Cor. 3. Affirmat *Velamen usque in hodiernum diem cùm legitur Moyses esse positum supra cor Judæorum.* Item quod Hebr. 11. dixit de fide universim, id etiam dici potest de ipsa S. Script. quod sit *argumentum rerum non apparentium*, quòd item *videamus nunc in ænigmate.* Grande enim ænigma & difficile intellectu & explicatu est Scriptura. Et Isai. 29. *Erit vobis visio omnium sicut Verba libri signati, quem cùm dederint homini scienti literas, & dicent lege istum, respondebit non possum, Signatus est enim.* Per quem signatum librum S. Gregorius M. intelligit obscuritatem Scripturæ Hom. 9. In Ezech. Hinc etiam Eunuchus ille cum Scripturam legeret, ab eoque Philippus percontaretur, *Putasne intelligis quæ legis? quomodo*, inquit, *possum nisi quis doceat me?* Act. 8. Ex illo etiam Psalm. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris, à fulgore coram ipso nubes transierunt, grando & carbones ignis.* Clemens Alex. infert & docet *abditos esse Sanctos sermones* L. 6. strom. versus finem.

Objectiones adversariorum refelluntur.

Sed contra Adversarii scripturam S. *Lucernam* à Davide dictam contendunt *pedibus nostris & lumen semitis nostris.* Psal. 118. 105. Ita omninò, sed & ipse ex tenebris ad lumen aspirabat. *Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua, & Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.* V. 223. Et *declaratio sermonum tuorum* (quæ Doctorum Ecclesiæ est) *illuminat.* v. 130. Item ajunt benè *facimus attendentes Scripturæ tanquam Lucernæ lucenti in caliginoso loco* 2. Petri 1. Ita omninò Lucerna est scriptura at lucens in caliginoso, ut benè notat D. Amb. apud Valentiam Anal: fidei pag. 27. ex Verbis Domini Lib. 7. in Luc. Cap. 52. *Nemo rectè accendit Lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio propriæ atque privatæ interpretationis*, nec proprii ingenii atque industriæ Limitibus tanquam modio quodam exiguo comprehendit, sed potiùs ponit super candelabrum autoritatis Ecclesiæ Catholicæ regulantis, Judicis, atque Magistræ vivæ & animatæ fidei, *ut qui in Domo Ecclesiæ* Christi sunt, *lumen videant.* quid scil: ex Scripturis? & quomodo credendum? quid non credendum?

Sed quid ego multis circa obscuritatem Scripturæ immoror? siquidem de ea ità clarè testatum reliquerunt SS. PP. ut vix quidquam clariùs dixisse ac scripsisse videantur. Revolvantur inpr. Confessiones Augustiniana, Ambrosiana, Hieronymiana, Gregoria-

na,

na, tam & Ceteri SS. PP. citati à Bellarm. Valent. Coccio, ceterisque Catholicis AA.

Cùm igitur eo quo diximus sensu S. Scriptura obscura sit, ut quis sensus determinatus ejusdem sit, non semper ipsamet diserte explicet, possitque jam in hunc jam in illum sensum trahi & contorqueri, necessariò requiritur distinctus à Scriptura Magister Autoritativus, & quasi Regulans, determinansque sensum S. Scripturæ, quod nî fiat, facilè continget ut fideles sint velut *parvuli fluctuantes*, & *circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum*, ad suos scil. pravos sensus trahentium Scripturam, *in astutia ad circumventionem erroris.* Quis autem æquiori jure hic Autoritativus infallibilis Magister, & Regulans præter Scripturam erit, atque Ecclesia Catholica? cui & infallibilitas, & tot à Christo D. prærogativæ collatæ competunt. Rectè sanè dictum illud à S. August. *Terrentianum, Maurum sine Magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëta possit intelligi: Tu in eos libros qui Sancti, Divinarumque rerum pleni prope totius generis humani Confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine Præceptore audes ferre Sententiam* Lib. de Util. Cred. c. 7. Similia legere est apud Hieron. Epist. ad Paulin. Tanto verò magis altiori Autoritativo Interprete indigebit Scriptura S. quòd scil. teste D. Petro *propriâ interpretatione non fiat* 2. 1. 20. Optimus igitur is in Sacris Literis intelligendis dux, & præceptor fuerit, qui Ecclesiæ Catholicæ præeuntis facemque præferentis sensum & præcepta secutus, aliis quoque factus est manuductor.

Concluditur præter S. Scripturam debere dari distinctum proponentem & explicantem ejusdem sensum applicantemque regularis i. e. fidei articulis.

Scriptura S. sine Duce & Præceptore in Ecclesia non legenda.

Porro hoc ipsum confirmari potest ex eo, quod Gerhardus Luther: docet in sua Confessione p. 14. scil. Non eo sensu inquit *Scripturam Vocamus perfectam, quod omnia quæ ad mores & fidem sunt necessaria* αὐτολεξεὶ *sive* κατὰ ῥητὸν *secundùm literam, & totidem verbis in Scripturis extent, sed quædam explicitè quædam implicitè in illis contineri dicimus, ut per legitimam & immotam consequentiam ex iis deduci possint.* Si igitur quædam implicitè in Scriptura continentur. Ergo quoad hæc est obscura; implicitè enim adeoque obscurè de iis loquitur. Debet igitur dari distinctus Magister qui illa implicita explicet, obscura explanet, abscondita declaret. *Per legitimam* inquit, & *immotam consequentiam deducenda*, at quis ille erit, infallibiliter illam consequentiam deducens? nunquid privatus quispiam, & non potius Ecclesia? Dicit idem ibid. cum

Sacram Scripturam non omnia explicitè contінere agnoscit Gerhardus Lutheranorum.

Augustino tr. 49. in Joan. *Christum D. multa dixisse & fecisse quæ Scripta non sunt, electa verò esse quæ scriberentur quæ saluti credentium sufficere visa sunt.* Idem & nos dicimus cum Aug: at quærimus quis ille erit qui nobis illa electa Saluti credentium sufficientia declaret & exponat? Siquidem ex his alios, & quidem diversos diversi articulos fidei constituunt ut patet in Schemate I. Scrutinii Parte I. posito. Certè Ecclesiæ est illa definire, ac declarare.

ARGUMENTUM II.

Ex Antilogia, seu Contradictione quadam apparente S. Scripturæ.

Propter antilogiam seu contradictionem apparentem Scripturæ debet dari Proponens, Regulans concilians Script. textus Ecclesia scil. Catholica.

INter Causas obscuritatis Scripturæ non levis reponitur à Bellarmino, Valentia, Becano aliisque Catholicis Polemicis Autoribus Antilogia seu Contradictio quædam textuum & sententiarum, quarum plurimæ reperiuntur in S. Scriptura. Id ipsum verò simul causa est cur præter S. Scripturam tanquam Repulam passivam debeat dari Regula activa Proponens, seu Regulans, Interpres, Magistra infallibili autoritate pollens, qui scil. tales Scripturæ oppositos sibi textus conciliet, apparentemque contradictionem tollat, proponatque ejusdem verum & legitimum sensum. Hoc enim ipsa S. Scriptura per se non præstat, igitur debet præstari per aliquem distinctum ab eadem: cui autem id potiori jure conveniet quam Ecclesiæ Catholicæ? quæ utique ob assistentiam Spiritus S. infallibilis est; cum qua Christus Dominus manet usque ad consummationem seculi, Magistram suam Vicariam illi infallibilem autoritatem & potestatem in regendis & docendis fidelibus communicans.

Possem hic bene longum recensere Catalogum talium antilogiarum S. Scripturæ, quem legere est tum apud Bellarm. Becanum, tum præcipuè apud Dominicum Magrium, qui ex ejusmodi contradictionibus integrum composuit opusculum. Aliquas saltem hoc loco attingam ex Becano.

Adferuntur plures S. Scripturæ Antilogiæ.

1. Genesis 1. & 2. dicit Moses *Deum creasse Coelum & terram sex diebus & die septimo quievisse.* At contra Ecclesiasticus Cap. 18. 1. ait. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.*

2. Gen. 32. 30. dicit Jacob Patriarcha *vidi DEUM facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* At contra Exodi 33. 20. *Non videbit me homo & vivet.*

3. Exo-

3. Exodi 20. 5. *Ego sum Dominus Deus visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* At contra Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

4. Exodi 20. 12. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* At contra Lucæ 14. 26. *Qui non odit Patrem suum, & Matrem suam, non potest meus esse discipulus.*

5. Deuter. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis.* At contra Matth. 5. 24. *Ego autem dico vobis non jurare omnino.*

6. 1. Reg. 15. 11. *Pœnitet me quod constituerim Saul Regem.* At contra Rom. 11. 29. *Sine pœnitentia sunt dona & Vocatio DEI.*

7. 3. Reg. 8. 9. *In Arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moses in Horeb.* At contra Hebr. 9. 4. *In Arca erat Urna habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.*

8. Psal. 1. 5. *Non resurgent impii in Judicio.* At contra 1. Cor. 15. 51. *Omnes quidem resurgemus.*

9. Psal. 61. 12. *Semel locutus est DEUS.* At contra Hebr. 1. 1. *Multifariam multisque modis olim DEUS loquens in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.*

10. Psal. 115. 2. *Omnis homo mendax.* At contra Apoc. 14. 5. *In ore eorum non est inventum mendacium.*

11. Proverb. 22. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* At contra Ezech. 26. 18. *In Præceptis Patrum vestrorum nolite incedere.*

12. Proverb. 26. 4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam &c.* At contra ibid. *Responde stulto juxta stultitiam suam.*

13. Sap. 1. 13. *DEUS mortem non fecit.* At contra Ecclesiast. 11. 14. *Bona & mala vita & mors &c. à DEO sunt.*

14. Sapientiæ 11. 25. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* At contra Rom. 9. 13. *Esau autem odio habuit.*

15. Jonæ 3. 4. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* At contra 4. 11. *Ego parcam Ninivæ Civitati magnæ.*

16. Matth. 10. 10. *Nihil tuleritis in via, non peram, nec calceamenta, neque Virgam.* At contra Marc. 6. 8. *& præcepit nequid tollerent in Via nisi Virgam tantùm.*

17. Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* At contra 1. Timot. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue.*

18. Marc. 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* At contra Matth. 10. 5. *In viam Gentium ne abieritis*, &c. *Sed ite ad oves quæ perierunt Domus Iſraël.*

19. Marc. 10. 19. *Nemo bonus niſi unus Deus.* At contra Lucæ 6. 45. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum.*

20. Joan. 5. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* At contra Joan. 8. 14. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo verum eſt teſtimonium meum.*

21. Joan. 5. 34. *Ego teſtimonium ab homine non accipio.* At cont. Joan. 1. *Hic venit* (Joannes Bapt:) *ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Item Joan. 15. 27. *Et vos teſtimonium perhibebitis de me.*

22. Joan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem* &c. *habet vitam æternam.* Cont. ibidem *Caro non prodeſt quidquam.*

23. Rom. 2. 25. *Circumciſio quidem prodeſt.* At cont. Gal. 5. 2. *Si circumcidamini Chriſtus vobis non prodeſt.*

24. Rom. 3. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus.* At cont. Jacob. 2. 20. *Fides ſine operibus mortua eſt* & ibid. *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.*

25. Rom. 9. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* At cont. Act. 7. 51. *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.*

26. Rom. 11. 34. *Quis cognovit ſenſum Domini?* At cont. 1. Cor: 2. 16. *Nos autem ſenſum Chriſti habemus.*

27. Gal. 1. 10. *An quæro hominibus placere?* &c. At cont. 1 Cor. 10. 33. *Ego per omnia omnibus placeo.*

28. Gal. 6. 2. *Alter alterius onera portate.* At cont. 16. v. 5. *Unusquiſque onus ſuum portabit.*

29. 1. Tim. 6. 16. *DEUS inhabitat lucem inacceſſibilem.* At contra Pſal. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.*

30. 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus.* At contra 1. Joan. 3. 9. *Omnis qui natus eſt ex DEO peccatum non facit.*

Tales igitur & plures aliæ antilogiæ ſeu contradictiones apparentes legere eſt in S. Scriptura, quarum multas D. Auguſt. in Lib. de Conſenſu Evangel. conciliavit. Pleraſque autem citatus Magrius eo quo Sacri libri poſiti ſunt ordine è mente ejuſdem D. Auguſt. aliorumque SS. PP. totiuſque Eccleſiæ expoſuit. Quid ſi igitur ex hac Antilogia Scripturæ inter fideles gravis controverſia oriatur, quo-

quomodo & per quem componenda, textuſque Scripturæ oppoſiti conciliandi forent? Annon hoc in negotio Eccleſia primas obtinebit? Et certè quis olim tempore Arii conciliavit illa oppoſita ſibi loca Script: Joan. 14. *Pater major me eſt*, *&*, *Ego & Pater unum ſumus*. Joan. 10. 30. quorum primum Ariani opponebant Divinitati Chriſti, altero utebantur Catholici pro eadem defendenda? nonne Eccleſia in Concil: Niceno? congregatis ibi 318. Patribus utrumque locum explicantibus, & conciliantibus.

Etiam in uno ſcripturæ textu quoad ſenſum reperitur Antilogia.

Optimè in hanc rem D. Auguſt: L. 3 de Doctr. Chriſt: C. 2. *Ambiguitas & repugnantia, quæ videtur in S. Literis, ex ipſius textus conſequentia, & adjunctis, tollenda eſt. Si autem Scripturæ repugnantia pertractari, ac diſcuti nequit, ſaltem id intelligitur, quid fides ſana præſcribit: fides* nimirum *ſana* Eccleſiæ Catholicæ.

Porrò ex uno etiam textu videmus ſæpenumero contrarios ſenſus à diverſis erui. Ut veteres Sectas taceam, perpendat quiſque prudens aliquos ſaltem textus quos hodie Diſſidentes Neo-Evangelici pro ſuis articulis adferunt v. g. de ultima Cœna. *Hoc eſt Corpus meum*: quàm diverſos, & planè oppoſitos hodiè ſenſus, & explicationes illius adhibeant? His enim Verbis Lutherani intelligunt Sacramentum Novæ Legis, veramque ac realem præſentiam Chriſti *in pane*, *cum pane*, *ſub pane*. Huſſitæ imò & aliqui Lutherani Huſſitarum principiis imbuti, prout in diſcurſu ex aliquibus intellexi, etſi concedant Sacramentum & realem præſentiam corporis, negant præſentiam Sanguinis ſub ſpecie panis, & viciſſim ſub ſpecie vini præſentiam Corporis. Contra Calviniſtæ admittunt Sacramentum, negant abſolute præſentiam realem. Sociniſtæ item contra & Anabaptiſtæ negant abſolute Sacramentum, ceremoniam vocantes, negant & præſentiam realem ſolum Spiritualem admittentes. Quakeri inſuper & Sacramentum, & Ceremoniam, & præſentiam veram ac realem, & denique ejuſdem uſum externum abſolutè negant. Confeſſio Evangelica purior itidem hæc omnia negat, internam & Spiritualem ſolum per fidem agnoſcens. Hæc omnia fuſius pertractavimus 1 Parte Scrutinii. Diſ. 1.

Idem à nobis ibidem Diſcurſu 3. declaratum eſt de Articulo Sanctiſſimæ Trinitatis ex textu illo 1 Joan. 5.7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum ſunt*. Cujus textus planè oppoſitum diverſi adferunt ſenſum, & explicationem.

Item

Item de myſterio & articulo Incarnationis Verbi DEI ex illo textu, *Verbum Caro factum eſt.* Joan. 1.

Idem de Baptiſmo ex Matth. ult: & Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

In contrariis ſenſibus Scripturæ debet dari conciliator.

Idem poſſet de aliis ſidei Articulis ex aliis textibus Scripturæ oſtendi. In his omnibus textibus Diſſidentes Moderni Neò-Evangelici alius alium, prout ſuus cuique autor eſt animus, eruit ſenſum, & intelligentiam ejuſdem, infertque quiſque alium & alium fidei articulum. Quis igitur Verum horum textuum ſenſum pandet. Quis velut oraculum omnibus audiendus erit? à quo diſcatur vera genuina atque unica Script. S. nec ſibi contradicens mens & intelligentia? Denique quotquot alios textus Diſſidentes Neo-Evangelici pro controverſiis cum Eccleſia Rom. Catholicâ articulis adducunt, illos textus ipſi in alio accipiunt ſenſu, in alio nos. In tanto diſſidio quis erit diremtor litis? quis conciliatoris ac pacificatoris partium aget partes? Ad ſolam S. Scripturam recurrunt Diſſidentes jam altero Seculo repudiata Eccleſiæ autoritate; at quid evicere? illud (quod etiam Scrut: Parte 1. innui Diſcurſu 10.) ut hucuſque lis haud ceſſet; tantum enim abeſt ut tam diverſæ Sectæ inter ſe cum Eccleſia Catholica concilientur, ut potius inter nos ipſos novæ & novæ opiniones exoriantur & pullulescant ex eadem radice ac fonte, quo ſtatuitur ſola S. Scriptura pro unica fidei Regula ac Judice excluſa Eccleſiæ Magiſtra autoritate. Quod cum manifeſtè cernant Diſſidentes, eccur adhuc oculos pertinaciter claudunt? nec eis Eccleſiam Catholicam reſpicere dignantur, quin ab ejuſdem Matris & Magiſtræ nutu pendere tanquàm Proponentis, Regulantis, Judicis ac Interpretis S. Scripturæ fidei regulæ paſſivæ perfrictim recuſant? Quis quæſo eſt obex impediens quo minus Diſſidentes tum inter ſe, tum cum Catholica Romana Eccleſia mutuâ amicitia conveniant? utique omnes S. Scripturam venerantur, omnes eam unicam fidei ſuæ Regulam ſtatuunt? En & nos eandem ſenſu ſupra explicato pro fidei Regula agnoſcimus. Et quid adhuc & ipſi invicem diſſidetis & Eccleſiæ Catholicæ Romanæ dextras jungere dedignamini? Nimirum hic unicus obex eſt, quia Regulantem & Interpretem Scripturæ Magiſtram Judicem fidei Eccleſiam Catholicam repudiatis. Amoveatur hic obex. Lex potius eſto inviolabilis, hanc adire, hanc audire Magiſtram, tum cuncti exoptatâ gaudebunt pace fideles.

Quis verò alius quam Eccleſia Catholica.

AR-

ARGUMENTUM III.

Ex eo quia ipſum S. Scripturæ Canonem ejuſdemque ſenſum infallibilem habemus à Magiſtrâ Eccleſiæ Proponentis autoritate.

NOn levis quæſtio olim fuit in Eccleſia de Canone S. Scripturæ; an ſcilicet & quinam ſint Canonici? id eſt quinam verè à Deo revelati libri? Sic ſcribit Euſebius *Simonidem fuiſſe quendam hæreticum, qui libros neſcio quos Prophetarum, præter eos qui in ſacro Volumine ſunt, comminiſceretur, eorum unum Barchabam, alterum Barcham nominaviſſe* Lib. 4. hiſtor. c. 8. S. Item Auguſt. autor eſt *nonnullos omnia rejeciſſe Evangelia* Lib. 2. Retract. c. 16. Teſte eodem Euſebio fuêre quibus *omnes Epiſtolæ D. Pauli improbarentur* Lib. 3. c. 27. De aliis quoque multis libris ſæpè in Eccleſia diſputatum fuit, an Canonici eſſent, eò quod vel tales ab aliquibus falsè negarentur, vel ementito nomine Apoſtolorum alii importunè fidelibus obtruderentur, qua de re fuſius tractant Autores Joan. Driedo Lib. 1. de Script. Can. Lib. 2. de Loc. Theol. apud Valent. in Analyſi fidei p. 30. Quid quòd ipſi Lutherani & Calviniſtæ ceterique de quibuſdam Libris Scripturæ an ſint Canonici inter ſe diſputent ut diximus I. Scrutinii Veritatis Parte Diſcurſu 3. Hæ igitur aut ſimiles aliæ, quæ de ipſo Canone Librorum Scripturæ à quopiam etiamnum v. g. recens ad Chriſtianam fidem converſo infideli inſtitui poſſent quæſtiones; quomodo obſecro refelli poſſent? Certè non ex ipſa S. Scriptura: ipſa enim de ſe quinam ſcilicet, & quot libri ſint verè Divini Verbi, & à Deo revelati, haud teſtatur. Ergo id decidi debet à quopiam alio diſtincto à S. Scripturâ: quis autem is alius erit? quàm Magiſtra & ut termino S. Auguſt. utar, *robuſtiſſima autoritate pollens Eccleſia Catholica* cont. Epiſt. fundam. c. 9.

Non Levis quæſtio fuit in Eccleſia olim de Canone S. Scripturæ.

Hæretici aliqui libros Scripturæ comminiſcebantur.

Aliqui omnia Evangelia rejiciebant.

Aliqui Epiſtolas S. Pauli improbabant.

Aliqui ſub ementito nomine Apoſtolorum obtrudebant.

Igitur Canonici libri determinari debent non ab alio quàm Eccleſia.

Et enimverò de authentico Canone S. Scripturæ fideles omninò certi eſſe debent, ut innuimus Parte 1. Diſcurſu 2. At à quo certificabuntur? non ab ipſa S. Scriptura: nam quiſcunque locus Scripturæ adferatur, quo quis vellet probare quòd Scriptura de ſe præbeat teſtimonium, ſe eſſe veram, Canonicam, & revelatam à Deo; de hoc ipſo loco ſeu textu Scripturæ quæſtio erit an ſit re vera Canonica? Igitur tandem id definire debet non alius, quàm Eccleſia Catholica.

Idque probatur. 1. quia de Canone Librorum authentico fideles certi eſſe debent.

Per quem alium, quàm per Eccleſiam?

Atque ita ſe omninò rem habere poſſem ex S.S. Patribus pluribus

Probatur 2. autori-

rate SS. Patrum. S. Ambrosii. bus probare testimoniis, attigisse aliqua suffecerit. S. Ambros. in Enarrat. Procem. secundum Lucam scribit quòd *aliud quidem Evangelium fertur quod duodecim scripsisse dicantur. Ausus est etiam Basilides Evangelium scribere, quod dicitur secundùm Basilidem. Fertur etiam aliud Evangelium quod scribitur secundùm Thomam: Novi alibi scriptum secundum Matthiam. Legimus aliqua, ne legantur, legimus, ne ignoremus; legimus ut non teneamus; sed ut repudiemus, Et ut sciamus qualia sint, in quibus Magnifici cor exaltant suum. Sed Ecclesia cùm quatuor Evangelii libros habeat per universum mundum Evangelistis redundat, hæreses verò multa habeant, unum non habent*: Item in Præfat. in Psal. David. *Salomon ipse David filius licèt innumera cantica cecinisse dicatur, unum tamen quod Ecclesia receperit Canticorum Canticum dereliquit.* Item Serm. 22. in Psal. 118. ait *solam Ecclesiam integram habere Scripturam.*

S. Hieronymi. S. Hieronymus idem confirmat adversus Vigilantium cap. 3. *Proponis mihi* ait, *ô Vigilanti! librum Apocryphum, qui sub nomine Esdræ à te & similibus tui legitur, ubi scriptum est, quòd post mortem nullus pro aliis audeat deprecari? quem ego librum nunquam legi, quid enim necesse est in manus sumere quod Ecclesia non recipit.* Testatur idem quòd *quando approbantibus sanctis Ecclesiæ Viris, Ecclesia accipit Evangelium, à Deo ipso accipit* Lib. 1. Com. in Cap. 1. Gal. Item *Evangelium Pauli à Spiritualibus cum quibus contulit fuit approbatum* ibi videatur Confessio Hieronymiana Tom. 1. Cap. 7. §. 1.

S. Augustini. Nullus verò Patrum id ipsum manifestiùs comprobat atque S. Augus. contra Faustum Lib. 13. C. 5. *Nostrorum* ait *Librorum autoritas tot gentium consensione per Successiones Apostolorum, Episcoporum, Conciliorumque roborata, vobis* (ô Manichæi) *adversa est. Item Sacris Scripturis credendum esse*, ait; *quia robustissima autoritate* (Scil. Ecclesiæ Catholicæ) *firmatæ* contra Epist. Fundam. c. 9. Item *Canonicas Scripturas* ait *quas recipit & tenet Ecclesia toto orbe diffusa* Lib. 23. contra Faustum C. 9. Ibidem lib. 33. c. 6. quærit ex Manichæis. *De quo libro certum erit cujus sit? si literæ quas Apostolorum dicit & tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tantâ eminentia declarata, utrum Apostolorum sunt incertum est?* Item ait *eos Libros nequaquam se pro Canonica autoritate habere, quos Catholica atque Apostolica Regula fidei* (id est Ecclesia) *& sana doctrina* (ejusdem) *condemnat.* De Consens.

Evang.

Evang. Lib. 1. c. 1. *Hoc* (item loquitur de eisdem Scripturis) *quòd tanta populorum Religione roboratum est, tanta hominum & temporum consensione firmatum, in dubitationem adducitur ab Hæreticis*: & infer. *Egone de illa* (autoritatis exaggeratione) *quam constanter latissimè divulgatam video, & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione firmatam dubitabo miser!* Lib. de Moribus Eccles. Cath. c. 29. De se ipso manifestè testatur. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me commoveret Catholicæ Ecclesiæ autoritas* Cont. Epist. Manich. C. 5. Energicum adhuc & illud S. August. testimonium contra Faustum Lib. 11. C. 2. *Tu es ergò Regula Veritatis? quidquid contra te fuerit non est verum; quod si alius simili insania, sed tamen qua tua duritia confringatur, existat, & dicat; imò illud quod pro te sonat falsum est; hoc autem quod contra te est verum est: quid acturus es nisi fortè alium librum prolaturus? ubi quidquid legeris secundùm tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliquo, sed de toto audias contradicentem & clamantem, falsus est. Quid ages? quo te convertes? quam libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis & nihil valebis; & vides hac in re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat Autoritas? quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentes sibimet Episcoporum seriè, & tot populorum consensione firmatur.* Similia habet de Civit. DEI Lib. 15. c. 23. Illud insuper benè notandum est, quòd ait de Christ. Doctr. L. 2. c. 8. *In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quam plurium autoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis præponat eis quas quædam non accipiunt, eis quas pauciores minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc invenire non possit, æqualis tamen autoritatis eas habendas puto.* Denique de Temp. Serm. 191. *Novum & Vetus Testamentum recipimus in illo Librorum numero, quem sancta Ecclesia Catholicæ tradit autoritas.* Non ait quem ipsa de se S. Scriptura testatur, sed *Autoritas Ecclesiæ Catholicæ tradit.*

Ex his igitur quæ hactenus ex SS. PP. allata sunt testimoniis clarum sit, Inprimis ipsam S. Scripturam, ejusque authenticum Canonem haberi, in Ecclesia non ab ipsa S. Scriptura, sed ab Ecclesiæ

Hinc infertur 1. S. Scripturam ejusque authen-

ricum Canonem haberi non ab ipsa Scriptura sed ab Ecclesiæ Catholicæ autoritate. 2. etiam numerum eorundem Librorum Canonicorum. 3. Sensum quoque ejusdem S. Scripturæ.

clesiæ Autoritate: adeoque, hanc esse Regulam activam, seu regulantem, & Proponentem Judicemque definientem Canonem Scripturæ.

II. Eandem definivisse numerum eorundem Librorum Canonicorum. Unde illi potiùs standum, quàm Neo-Evangelicis qui pro libitu suo nulla Ecclesiæ Catholicæ fulti autoritate hos recipiunt, illos rejiciunt, ut vidimus Scrut. Parte 1. Discursu 2. Idque è mente S. August. juxta penultimum testimonium; *standum est potius Ecclesiæ Catholicæ autoritati.*

III. Quod si Ecclesiæ Catholicæ Autoritate & ipsi Scripturæ Libri, & numerus constituti sunt, sequitur ejusdem Ecclesiæ autoritate debere & sensum ac interpretationem eorundem Scripturæ Librorum definiri: adeoque Ecclesiam esse, Proponentem Magistram, Interpretem, Judicem & Regulam, Activam seu Regulantem in explicanda S. Scriptura, utpote regula passiva, adeoque applicanda his vel illis in particulari fidei articulis: præsertim quia S. Petrus ait quòd *omnis Prophetia Script. propriâ interpretatione non fit* 2 Pet. 1. 20. Ergo debet fieri interpretatione Ecclesiæ cui datus Spiritus S. neque enim datur tertius, qui id faciat.

Unde constat Ecclesiæ hos Libros esse Canonicos.

At enimverò quæri hic posset undè Ecclesiæ certò constat quòd hæc S. Scriptura sit Canonica? Unde illi certus numerus Librorum? Unde tandem & certus eorundem sensus & explicatio? Ad hoc verò respondit sat disertè supra D. Augustinus: Cum ait *Nostrorum Librorum Autoritas tot Gentium consensione per Successiones Apostolorum, Episcoporum, Conciliorumque* (ac novissimè Tridentini) *roborata.* Item *Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes Gentes tantâ eminentia declarata dicit & tenet Libros Canonicos.* Nimirum illa Ecclesia, quæ tanta *Antiquitate, Universalitate, Consensione* firmata est, cum hos sacros libros habeat, credat, teneatque, Canonicos, idque tantâ successione & consensione (non obstante unius aut alterius dissentiente sensu & sententia) sat mihi fundamenti præbet, ut credam eos de factò esse Canonicos, adeoque à DEO verè revelatos, tam quoad ipsam substantiam, quàm quoad numerum, Versionem, ac tandem sensum & interpretationem; ac quod inde sequitur verè esse authenticos.

Fidele testimonium de se invicem præbent Scriptura & Ecclesia.

Denique quomodo de se invicem fidele testimonium præbeant Scriptura & Catholica Ecclesia egregiè id expressit D. August. Lib. 1. contra Cresconium Grammat. c. 23. *S Scripturarum à nobis te-*

ne-

netur Veritas, cum id facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat Autoritas. Ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate Quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat, ut Psalmo 2. v. 8. 71. v. 8. 48. v. 2. 112. v. 3. 95. v. 1. 3. &c. quæ tum S. Augustinus, tum Optatus Milevitanus Lib. 2. cont. Parmen. copiosè citat & Ecclesiæ Catholicæ applicat, quibus locis maximè *Universalitas* & *Consensio* Ecclesiæ commendatur. De hoc eodem mutuo S. Scripturæ de Ecclesia, & hujus de illa fideli testimonio vide Confessionem Hieronymianam Tomo 1. c. 7. art. 14.

ARGUMENTUM IV.

Ex S. Petro quia S. Scriptura non fit propriâ Interpretatione: Igitur à Proponente Ecclesiâ.

S. Petrus Epist. 2. Cap. 1. ait quod *omnis Prophetia Scripturæ propriâ Interpretatione non fit*. Hic Prophetia Scripturæ, ut animadvertit Cornel. à Lap. accipi potest pro ipsa expositione & explicatione ejusdem Scripturæ: etenim *prophetare* in Scriptura subinde accipitur pro *docere* & *interpretari*. Sic Aaron dicitur *Propheta* id est *Interpres* Mosis Ex. 7. 1. Quod ipsum pluribus ostendit idem à Lap. Itaque sensus est hujus loci, Explicatio, Expositiovè Scripturæ non fit, id est, fieri non debet, nec potest propria interpretatione, seu proprio acumine, ingenio, atque industriâ, proprio sensu, judicio, & doctrina. *Explicatio Scripturæ S. non fit propria interpretatione, privati hominis.*

Breviter S. Scriptura non debet exponi è proprio privatove sensu, sed è mente ejus qui Magistram Proponentem Autoritatem habeat ceteris proponendi eosque docendi. Quod ipsum patet, quia hujus rei dat statim causam S. Petrus. *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt S. DEI homines.* Sicut igitur à Spiritu S. inspirati Sancti DEI homines Scripturam sunt locuti, ita etiam eodem inspirante debet non proprio sensu exponi & explicari. Igitur debet dari aliquis qui inspiratus à Spiritu S. ejus interpretationem proponat. Atqui is non potest esse aliquis privatus: Ergo debet esse ipsa Ecclesia Universalis. Non inquam privatus, tum quia quisque privatus est fallibilis & errori subjectus; idque tantò magis, quia aliqui Adversarii etiam Ecclesiæ Universali negant infallibilitatem. Tum quia *Sed è sensu Ecclesiæ Catholicæ. Idque probatur.*

quia nulli privato Spiritus S. est appromissus à Christo D. sed toti in commune Ecclesiæ. Tum quia, si privatus eam interpretetur, semper audiens fidelis trepidare timereque poterit, an non id faciat propria interpretatione & sensu, nisi forte illi aliunde constet quòd è communi Ecclesiæ sensu eam interpretetur: tunc autem non propriam, sed ipsius Ecclesiæ interpretationem adferet. Tum quia ut ait S. August. Ep. 8. ad Hieron. *Titubabit fides si Divinarum Scripturarum vacillet autoritas.* Atqui Scripturarum autoritas vacillabit, si illius interpretatio autoritatem habeat à privato aliquo, & non potius ab ipsa Ecclesia. Ergo & fides titubabit.

Maximè quia id est hæreticorum proprio sensu Scripturam interpretari.

Tum denique quia sequenti immediatè capite describit hæreticos pseudoprophetas, & Magistros mendaces qui *introducturi essent sectas perditionis*, & *fictis Verbis negotiaturi*, scilicet propria interpretatione Scripturas explicantes & *docentes perversa*, & ut eadem Ep. C. 3. ait *depravantes Scripturas* è proprio sensu & interpretatione *ad suam ipsorum perditionem.*

Præclarè nostram sententiam confirmat D. Regiomontanus „ Christ. Dreierus Orat. de Orthodoxia p. m. 9. *Scriptura S. non* „ ἰδίας ἐπιλύσεως nec propria interpretatione explicatur, sed ut à Spi„ ritu S. prolata est; ita & Spiritu S. tantùm intelligitur, ejusque sen„ sus aliis manifestatur. Prophetiæ donum habeat, vel aliunde mu„ tuetur necesse est, qui scripturam interpretari conatur. Prophe„ tiæ donum autem non in cujusque statim cerebro reperitur, sed in „ Ecclesia Catholica invenitur, quam, qui consulit & Veras Scri„ pturæ interpretationes statim inveniet, & deinde mediis istis in„ terpretandi communibus magis confirmabit, sola vel incertos nos „ relinquunt, *vel in casses nos trahunt hæreticorum.*

Objectioni Adversariorum occurritur.

Neque valet si dicas Scripturam interpretandam esse juxta regulas rectæ interpretationis, per collationem Scripturæ cum Scriptura &c: quia præter dicta contra hanc exceptionem in Scrutinii prima parte Discursu. 1. & 3. & aliàs, de his ipsis regulis rectæ interpretationis collationeque quæro an privato sensu & interpretatione fiat? Si ita, igitur fit contra hoc S. Petri monitorium dogma: Si autem non propria; Ergo Ecclesiæ ipsius Universalis; neque enim inter hæc duo datur medium. Stat igitur firmum præter S. Scripturam dari distinctum Proponentem Interpretem Regulantem, Autoritatem Magistram infallibilem habentem in docendo & exponendo scripturam: Scil. non privatum quemque. Sed Ecclesiam.

Sed audiamus etiam hac de re solidè discurrentem D. Drejerum » cit: loco p. m. 8. At inquiunt (scil. Tripolitanum Ministerium & » alii Luther. & Reform:) habemus media interpretationis antece- » dentia & consequentia, & loca parallela, & scopum textus & » subjectam materiam, & phrasin & proprietatem linguæ. His pro- » bamus nostram sententiam convenire cum Scriptis Prophetarum & » Apostolorum, atque ita eam ostendimus orthodoxam, Sed & hic » impingunt, nec animadvertunt, his ipsis maximè pugnare hære- » ticos adversus orthodoxam sententiam, semper in Ecclesia asser- » vatam, ut potius juvent hæreticos, quàm prosint Ecclesiæ mem- » bris, & veræ fidei alumnis. Media illa sunt magis communia, » quæ & cuivis profano scripto applicari possunt, ac proinde quò » communiora sunt, & longius à proposito recedunt, tantò incer- » tiores nos relinquunt. »

ARGUMENTUM. V.

Ex S. Paulo 2. ad Timoth. 3. 16. dicente, *Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est ad docendum &c.*

VErissimum equidem est illud S. Pauli effatum 2 Tim. 3. 16. *Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est ad docendum, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Et ex hoc quidem loco conantur Neo-Evangelici probare quòd sola S. Scriptura exclusâ Ecclesiæ autoritate sit regula & regulans seu Judex fidei: sed falluntur: Nam inprimis hôc locô non dicit S. Paulus quôd sola S. Script. sit sufficiens & adæquata Regula utilis ad docendum, etenim in textu nec τὸ *sola Scriptura*, nec τὸ *regula*, nec τὸ *sufficiens*, *aut adæquata fidei*, multo minus quòd eadem sit *regula*, & *regulans* seu *Judex legitur*. Sed simpliciter affirmat Apostolus ad eum quidem finem utilem esse seu valere Scripturam, idque non quasi ipsa Scriptura immediatè omnia ad fidem & salutem necessaria tradat; nam loquitur de omni etiam Scripturæ parte: ait enim *omnis Scriptura*, â qua universali Propositione valet descensus ad omnes singulares seu particulares libros Scripturæ, de quibus tamen constat, quòd non omnia in quâvis parte seu libro contineantur. Undè potius Apostolus intelligendus est sic loqui, quod quoniam quidem Scriptura in omni Libro sacro docet aliquid ex his, quæ sunt credenda aut facienda, ideo utilis est ad docendum, id est, ut quis ex ea doceat, instruatque & se, & alios ad omne

Explicatur Locus S. Pauli 2 Tim. 3. 16.

omne opus perfectum. Quia tamen multum consistit in docente, instruente, proponenteque doctrinam: quisnam ille sit, an privatus aliquis? bonus an malus? errans, an vera dicens & docens? an non ex illorum numero, de quibus Petrus *indocti & instabiles Pauli Epistolas sicut & ceteras Scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem* 2 Petr. 3. An non insuper sint ejusmodi quales S. Paulus hoc eodem loco paulo ante descripsit. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi &c. Semper discentes & nunquam ad scientiam Veritatis pervenientes, qui resistunt veritati, homines corrupti mente, Seductores, errantes & in errorem mittentes.* Quamobrem etsi quidem hoc loco S. Paulus non determinet quisnam debeat esse ille docens, Proponensque doctrinam Universis fidelibus; nihilominus ex præmissis facilè assequi licet, non voluisse eum docentem & proponentem esse aliquam privatam personam: Sic etenim quivis sibi vendicat id quod dicit hic S. Paulus. Sic e. g. Lutherus & Lutherani dicunt *omnem Scripturam esse utilem ad docendum*, & tamen aliam Confessionem Articulosque fidei ex ea procudunt. Idem dicit Zwinglius, Calvinus & hi alias Confessiones commenti sunt. Idem Socinus & hic aliter docet. Idem Mennonista, idem Quakerus: quorum tamen nullus cum altero in sola universim Confessione, articulisque fidei convenit. Utilis igitur est Scriptura ad docendum, sed non eo sensu, ut liberum sit unicuique ex ea docere quod illi libet: multò minùs adhoc, ut ex illa male ac perversè intellecta *resistat veritati, sit corruptus mente, seductor, errans & in errorem mittens.*

E mente D. Pauli docens seu proponens doctrinam Universæ Ecclesiæ non debet esse privata persona.

Potiùs igitur vult utilem esse Scripturam ad docendum etiam privato, sed qui eam intelligat & ex ea doceat. Ita prout accepit à Majoribus, ab Ecclesia. Idque constat ex eodem loco ubi D. Paulus v. 10. ait *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, fidem*; illam nimirum quam illi non scripto tantùm, sed etiam ore ac vivæ vocis oraculo tradidit. Neque enim in duabus Epistolis Pauli ad Timoth. legimus omnia credenda & agenda eidem descripta esse à Paulo, plurima igitur ex ore ejus viva voce hausit. Unde etiam addit v. 14. *Tu verò permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi* scil. à me præcipuè, atque etiam ab aliis Apostolis & Doctoribus Ecclesiæ *tibi credita*; seu ex Græco ἐπιϛώθης *concredita*, adeoque *tradita* & communicata sunt: *Sciens à quo didiceris*. scil. non ab eo qui resistit veritati, qui seductor, qui errans,

Sed Ecclesia Catholica.

rans, & in errorem mittens, sed qui tenet id quod accepit à Domino, & quod tenuit tota pro tunc Ecclesia, imò qui etiam ex Divino instinctu & Revelatione *ascendit Jerosolymam, & super suâ doctrina contulit cum ceteris Apostolis* Gal. 2. 2. *ne forte in vacuum cucurrisset.* En Magistra autoritas Docentis ac Proponentis præter S. Scripturam. Ad hanc igitur S. Paulus inducit Timotheum tanquam Regulantem & Proponentem ad S. Scripturam tanquam Regulam. Etsi igitur ex hoc loco S. Pauli constet S. Scripturam esse utilem ad docendum, non tamen constat quòd ipsamet omnia credenda & agenda definiat, quin non omnia in ea definita esse, jam commonstrabo, ut præter S. Scripturam tanquam Regulam etiam Regulantem seu Proponentem Ecclesiam Catholicam evincam.

ARGUMENTUM VI.

Plures Articuli Fidei & Ceremoniæ Autoritate solius Ecclesiæ constitutæ & propositæ fidelibus.

PLures Articuli fidei, qui claris & disertis Verbis non leguntur in Scriptura & quos contradictio hæreticorum dubios fecit sunt ab Ecclesia constituti & propositi fidelibus Universaliter tenendi, uti & ceremoniæ. Hoc ipsum ita se habere docebunt nos SS. Patres D Augustinus testatur (1.) *Homousion in sanctis paginis scriptum non invenitur* (2.) *Patrem ingenitum in eisdem libris nusquam legimus & tamen utrumque in assertione fidei defenditur:* Epist. 174. propè init. Articuli fidei & Ceremoniæ autoritate Ecclesiæ Catholicæ constitutæ. 1. Homousion. 2. Innascibilitas Patris.

(3.) *Adoratio Spiritus S. Da nobis*, inquit idem, *testimonia ubi adoratur Spiritus S. ubi etiam meminit ejus quod Pater sit innatus* contra Maximum L. 3. c. 3. 3. Adoratio Spiritus S.

(4.) *Virginitas B. V. Mariæ ante, in, & post partum. Integra* ait idem *fide credendum est. B. Mariam Dei Christi Matrem & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse.* 4. Virginitas B. V. M. ante, in, & post partum.

(5.) *Hæreticos non rebaptisandos.* De Bapt. contra Donat. Lib. 2. c. 7. *Credo consuetudinem non rebaptizandi Hæreticos ex Apostolica autoritate venire: Sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posterorum, & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Item L. 4. c. 6. Item ibidem Lib. 5. c. 23. Ubi addit: *Multa sunt quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis precepta* 5. Hæreticos non rebaptisandos.

benè credimus, quanquam scripta non reperiantur.

6. Parvulorum Baptismus.

(6.) *Parvulorum Baptismus.* Orig. c. 6. Epist. ad Rom. ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.* August. de Gen. ad Lit. L. 10. c. 23. *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi Apostolica esset traditio.* Idem docet de Bapt. contra Donat.

7. Ceremoniæ in baptismo adhiberi solitæ. Consecratio aquæ baptismi. Unctio. Patrinus. Trina mersio. Renuntiatio Satanæ.

(7.) *Ceremonias* in Baptismo adhiberi solitas non ex Scriptura sed Ecclesiæ autoritate institutas agnoscit Basil. 2. de Spiritu S. c. 27. *Consecramus aquam baptismatis, Oleumque Unctionis præterea ipsum qui Baptismum suscipit: ex quibus scriptis? Jam ter mergi hominem unde est traditum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo ut renuntiare Satanæ & Angelis ejus, ex qua Script. habemus? Nonne ex privata & arcana hac traditione? nonne ex doctrina quam Patres nostri in silentio: (quod curiosos & otiosos submovet:) servarunt &c.* similia habet Tertull. de Corona Milit. c. 3. *Habentes observationem inveteratam, quæ perveniendo statum fecit, hanc nulla Script. determinavit* &c. *Aquam Baptismatis adituri aliquantò prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus, dehinc ter mergimur, aliquid amplius respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit.*

8. Signum Crucis. Oratio ad orientem. Invocationis verba in elevatione S. Hostiæ. Oblatio pro defunctis. Signi Crucis fronti impressio.

(8.) Plures item Ecclesiæ consuetudines allegat S. Basil. loco citato: *ut signo Crucis signemur, quis scripto docuit? ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Script.? Invocationis verba cùm ostenditur Panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis* &c. Tertull. quoque citato loco meminit *Oblationis, oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus, frontem signo Crucis terimus.* Ib. c. ait: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostulas Scripturarum nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix* &c.

9. Symbolum Apostolicum.

(9.) *Symbolum Apostolicum* August. de fide & Symb. C. 1. & serm. 115. de Temp. & Symb. L. 3. c. 1. Et S. Basil. Lib. de S. Spiritu c. 27. Cùm enumerasset plurima quæ ex Traditione Majorum Ecclesia tenet, concludit: *Omitto cetera. Ipsam fidei professionem quâ credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum S. è quibus Scripturis habemus?* Idem D. Basil. testatur præter S. Scripturas in Ecclesia esse *consuetudines & Canones pergravis autoritatis:*

10. Festum Pas-

(10.) *Multa* quoque D. August. ait Epist. 118. ab *Apostolis* fa-

facta, multa etiam Christiano esse servanda, quæ tamen scripta non sunt, sed Ecclesiæ per totum orbem autoritate tradita & firmata: Ut Festum Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi. Dies item *Dominicus loco Sabbathi. Tempus quoque quo dies Paschæ celebrandus ab* Ecclesiæ *autoritate determinatum.* Vide hac de re plura velut in Compendio in Confess. Augustiniana c. 5. c. 7. sionis, Resurrectionis Ascensionis.

(11.) S. Basilius quoque testatur Lib. de Spir. S. cap. 29. Probans *Spiritum S. cum Patre, & Filio æqualiter adorandum. Sanè,* ait *id quod dicunt Præpositionem cùm carere testimonio nec in Scripturis exstare. Illud dicimus si nihil aliud est receptum absque Scripturis, nec hoc quidem recipiatur.* 11. Spiritum S. cum Patre & Filio æqualiter adorandum.

(12.) *Jejunium* præcipuè Quadragesimale. S. Hieron. multis locis meminit *Jejunii* hujus in Ecclesia recepti, utique non ex Scripturis, sed ex Autoritate Ecclesiasticæ Traditionis. De Viris Illustribus in Polycrate. Item Ep. 28. ad Lucinium. Item Ep. 54. ad Marcel. & aliis locis. *Jejunii Qadragesimalis* quoque meminit sæpius S. Chrysost. quod utique non Scripturæ sed Ecclesiæ autoritate ordinatum. Testimonia ejusdem luculenter à me citantur in D. Joan. Chrysostomo à Lutheranismo vindicato. S. Ambrosius meminit ejusdem Serm. 34. de Quadrag. & Lib. 8. Comm. in c. 17. Lucæ. Idem testatur Basilius, August. & alii SS. PP. S. Clemens Rom. de hoc Jejunio ab Apostolis tradito testatur Can. 68. & L. 5. c. 12. &c. S. Ignat. Ep. ad Philip. 12. Jejunium præcipuè Quadragesimale.

Adeo denique id verum est quòd non ex Scripturis, sed Ecclesiæ autoritate multa ad fidem spectantia colligantur, ut ea res vel invito Chemnitio veritatis testimonium expresserit ut infra dicetur.

Possent plura alia exempla adduci quæ in S. Scriptura non leguntur, creduntur tamen tenenturve ex sola Ecclesiæ Magistræ docentis autoritate, ut quòd non Vespere sed mane, non ad Cænam sed jejuno stomacho Eucharistia S. sit usurpanda; quod non solis 12. sed pluribus danda, quod item in pane azymo. Quid item sit Sacramentum? Quotuplex? quis cujusque effectus? &c. similia hæc certè in Script. claris & disertis verbis non leguntur. Ex quo facilè concludi potest à quovis quòd Ecclesiæ Catholicæ competat ratio regulæ Activæ Proponentis regulantis, Judicisque quà credendorum, quà agendorum: adeò ut quemadmodum S. August. ait. Ep. 118. *Insolentissimæ insaniæ sit disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

Ad extremum ipsi Dissidentes in unaquaque Secta plurimas & qui- Ipsi Dissidentes

Neo-Evangelici multas ceremonias & consuetudines tenent suarum duntaxat Ecclesiarum autoritate.

quidem oppositas habent consuetudines & Ceremonias, quas tamen non legunt in Scripturis. Sic Lutherani orant capite aperto & ore tecto pileô, Concionantur in Superpelliceis secus Calvinistæ utrique stantes, Mennonistæ sedentes. Quackeri trementes. Cœnam Domini sumunt aliqui flectiles, stantes alii, alii sedentes, cùm tamen Scriptura testetur quòd D. noster cum Apostolis nec sedentibus, nec stantibus, sed discumbentibus eam celebrarit. Lutherani sumunt panem triticeum, azymum in ferro tostum vulgò *ablat* dictum. Calvinistæ triticeum fermentatum simpliciter pistum. Illi è manibus Ministri directè in os sumunt, hi in proprias manus panem & calicem accipiunt &c. Quæro has & similes plures consuetudines & Ceremonias quâ Autoritate faciunt? Non Scripturæ. Neque enim eas & quidem tam diversas sibique repugnantes disertis verbis describit. Igitur potiùs dicendum illas autoritate uniuscujusque Sectæ constitutas.

ARGUMENTUM VII.

Ex depravatione S. Scripturæ partim nocente, partim innocente.

Quid innocens Scripturæ depravatio? quid non innoxia?

INnocentem depravationem Scripturæ eam voco, cùm quis proprio privatoque sensu abreptus S. Scripturam explicat, postmodum verò contrarium Ecclesiæ agnoscens sese eidem subjicit. Nocentem, cùm quis suo proprio & privato sensui pertinaciter inhæret contra communem Ecclesiæ.

De hac posteriore depravatione effatum D. Petri est: *quod indocti & instabiles S. Pauli Epistolas sicut & ceteras Scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem.* 2 Pet. 3. quæ depravatio tum demum fit, quando scil. Ecclesiæ autoritas in explicandis exponendisve Scripturis contemnitur, *Suus cuique potius animus* ut S. August. 1. Part. Scrutinii 8. Discur. 3. & 10. citatus ait *autor est*, *quid in quaque Scriptura probet*, *quid improbet?* Unde SS. PP. hanc principem assignant causam tot in Ecclesia Sectarum, Hæresium, atque Schismatum, de quo mox dicemus plura, quod scil. ut verbis D. Hilarii loquar Lib. 2. de Trin. citati Scrutinii Par. 1. Discur. 3. *Cœlestium Verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis absolutione susciperent, aliter interpretantes, quàm dictorum veritas postularet, de intelligentia enim hæresis est, non de Scriptura, & sensus non sermo fit crimen.* Innumera pæne sunt hu-

hujus depravationis Scripturæ interpretationiſque ejuſdem, aliter quam dictorum veritas poſtulet, exempla, cum nulla ferè fuerit Hæreſis, quæ non errores ſuos S. Scripturâ palliaverit. Exſtant ea de re pleni D. Auguſtini, Iræneï, Athanaſii, Hieronymi, Epiphanii, Vincentii Lirinenſis, ceterorumque qui de Hæreticis ſcripſere Libri & volumina. Quin etiam probi ac ſancti proprio ſenſu & privata opinione abrepti aliqua docuere ex S. Scriptura, atque adeo in errorem inciderunt, ſine noxa tamen & ſcelere, ſiquidem animadvertentes contrarium Eccleſiæ ſenſum, nec ſuas opiniones ab Eccleſia probari, maluerunt judicium ſenſumque ſuum Eccleſiæ ſubdere, *captivantes intellectum in obſequium fidei* ut monet Apoſt. quam *peccatum ariolandi* committere, ſcilicet Eccleſiæ non obediendo. Qui autem in ſuo ſenſu potiùs elegerunt pertinaciter abundare, ab Eccleſia diſſientientes & deſciſcentes, ii demum verè pro Hæreticis agniti, habiti & rejecti ſunt.

Cyprianus innocenter erravit circa iterationem baptiſmi hæreticorum.

Innocenter erravit Cyprianus cùm quibuſdam exiſtimans iterandum eſſe baptiſma hæreticorum, idque ex depravatione S. Scripturæ ponderabat enim illa verba. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit.* At *fides* ſubſumebat *ab Hæreticis exulat*, ergo *inferebat non credunt: ſi non credunt* ergo *invalidum illorum baptiſma*; ſi *invalidum*, ergo *iterandum.*

D. Auguſtinus Euchariſtiam parvulis conferendam ſentiens.

Erravit innocenter & D. Auguſtinus cum aliis ſentiens Euchariſtiam parvulis pueris ut ſalvi fiant, conferendam eſſe; errori anſam dedit depravatus ſenſus S. Scripturæ ex illis Joan. 6. verbis. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Ergo hinc inferebat ſine hoc cibo infantes vitâ æternâ non vivent: Ergo illis danda Euchariſtia.

Chiliaſtæ credentes Chriſtum D. mille annos in hoc mundo cum ſanctis ligato Satana regnaturum in ſumma tranquillitate.

Errarunt innocenter & illi Patres ac fideles quidam vulgò Chiliaſtæ dicti qui credebant mille annos Chriſtum in hoc mundo cum Sanctis in ſumma beatitate & tranquillitate, ligato Satana, regnaturum eſſe: hauſere hanc Opinionem ex Apoc. 20. v. 24. 32. Ubi Joannes monet *ligato Satana Sanctos Martyres in reſurrectione prima cum Chriſto mille annos regnaturos*, *ac deinde Antichriſtum venturum* v. 6. & 7. Imbuti illa fuêre Papias S. Joan. Ev. diſcipulus, Ireneus, Juſtinus M. Tertull. & alii, præcipue Nepos Ep. in Ægypto, qui de ea Libros conſcripſit.

Innocentes hi fuêre Errores: at tamdiu quamdiu hi errantes filii Sanctæ Matris Magiſtræ fidelium Eccleſiæ ſenſui de hiſce opinio-

Quia sensum suum Ecclesiæ Catholicæ subdiderunt.

nionibus parati fuerant obtemperare, cui nisi obtemperassent & Cyprianus & Augustinus, & ceteri PP. hodie in Ecclesia Hæretici proclamati fuissent. Quam obedientiam Ecclesiæ quicunque aliorum Patrum veterum olim haud præstitêre eos ab hæresi absolutos haud credere possumus, utpote cùm hæresis ratio formalis sit cum pertinacia adversus Ecclesiam Catholicam suos tueri errores.

Innocenter erravit hoc seculo Isaacus Peyrerius.

Unde etiam innocenter errasse fatendum est hoc seculo (ut alios prætercam) Isaacum Peyrerium, qui Libro conscripto de Præ-Adamitis novæ Sectæ Autor apparuit, quamdiu relicta Ecclesiæ Catholicæ autoritate nova cerebri sui inventa S. Scripturæ apparenti autoritate firmata asseruit, disparuit tamen illico quando innocentem suum errorem velut catellum ne in Cerberum Orci cresceret ad petram Petri id est Ecclesiæ Catholicæ autoritatem irrefragabilem allisit egregiâ suâ Epistolâ ad Philotimum edita mihi Francofurti A. 1658. in qua Alexandrum VII. candide ac ingenue alloquitur, hisce præmissis quæ non prætereunda videntur. pag. 55. *Lectorem meum benevolum oratum volo, ut quæcunque scripsi scripta putet exercitationis causâ & gratiâ. Nihil enim ausim asserere de his, quæ parum convenire videntur cum recepta opinione totius Ecclesiæ. Cujus præceptis totum me sine fraude & devotissimè dedico.* Addit deinde paucis interjectis alloquendo SS. Alex. VII *Atque ut manifestè appareat Sanctitati tuæ me ex animo & toto pectore dicere quæ loquor. Fateor ingenue Pater sanctissime, me in illa hypothesi exponenda, delusum fuisse imagine ipsa Veritatis, qua alliciebar, & quâ alios allici posse existimaveram, quia innocenter putaveram &c.*

Tali plane innocentia laborare existimo multos inter Dissidentes præcipue Regiomontanos Doctores, qui cum Ecclesia Romana admittunt quidem alterum Principium & Regulam fidei Ecclesiam Catholicam, & ex eadem plerosque fidei articulos Ecclesiæ nostræ conformes concludunt, in aliquibus tamen paucis admodum dissident; quia nondum plene sensum Ecclesiæ Proponentis & Regulæ fidei penetrarunt.

Non innocenter erravit Origines.

E contra à nocente errore haud absolvitur Origenes teste Vinc. Lirin. advers. Prof. hæres. c. 23. Cujus eximiis laudibus præmissis addit. *Quamobrem hic Origines tantus ac talis dum gratiâ Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cumque parvi pendit antiquam Christianam religionis sim-*

simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones & Veterum Magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoque Ecclesia diceret Deut. 13. si surrexerit in medio tui Propheta, & paulo post, *non audies* inquit *Verba Prophetiæ illius* &c.

Sed & Tertulliani quoque eadem ratio est (Verba sunt ejusdem Vinc. Lirin. c. 24) *Nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facilè Princeps judicandus est.* De quo prolixa panegyri præmissa adjungit. *Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic inquam* (hem quam exaggerata hæc justi est emphasis doloris in optimo Vincentio) *Tertullianus, Catholici dogmatis, i. e. Universalis ac Vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multò quàm felicior mutatâ deinceps sententiâ fecit ad extremum, quod de eo B. Confessor Hilarius (in 5. Matth.) quodam loco scribit, sequenti inquit errore, detraxit scriptis probabilibus autoritatem.* Tertullianus.

Neque verò & ceteri omnes quotquot in Ecclesia fuêre ab ejusmodi nocente errore absolvuntur, qui se dum plus ceteris sapere (ut ait Vinc. Lirin.) *videntur Apostolicas traditiones & Veterum magisteria, ipsiusque Ecclesiæ Matris & Magistræ fidelium autoritatem contemnentes quædam Scripturarum capitula novo more interpretati sunt*, in Ecclesia Schismata fecêre. Quales fuere Lutherus, Calvinus & ceteri longo ordine. Et alii.

Et hic quidem lubens audirem Lutheranos ac Calvinistas ceterosque quomodo hosce tam qui innocenter quàm qui nocenter errarunt ex sola S. Scripturæ Regula & regulante, erroris manifestè convincerent? quo quæso textu S. Scripturæ demonstrarent? Cyprianum ex Scriptura probantem iterandum Hæreticorum Baptismum. Augustinum requirentem Eucharistiam dari parvulis. Chiliastas, Peyrerium, Orig. Tertull. ceterosque Sacram depravasse Scripturam, quâ sua dogmata firmabant, *aliterque eam interpretantes quàm dictorum veritas postulet?* Unde illis porrò constat præcitatos Scripturæ textus aliosque quos pro suis dogmatibus allegant non ita intelligendos esse, ut à Cypriano, Aug. Chiliastis &c. fuêre expositi. Numquid ex ipsa Script. & non potiùs ab Ecclesiæ autoritate! cui etiam ipse Cyprianus, Augustinus, ceterique tandem cessere, sensumque suum submisere. Fateantur itaque ingenuè & vere præter S. Scripturam Regulam ipsam Ecclesiam Catholicam esse Regulantem, Magistram atque interpretem S. Script. Judicemque Controversiarum.

Non possunt à Dissidentibus Neo-Evangelicis convinci erroris ex sola S. Scriptura, tam qui innocenter quam qui nocenter errarunt.

Sed

Adducuntur aliquæ depravationes Scripturæ Dissidentium Neo-Evangelicorum.

Sed quid opus est depravationem S. Scripturæ Antiquorum seu innocenter seu non sine noxa errantium in medium adducere? Perpendant ipsi Dissidentes Neo-Evangelici aliquos saltem articulos fidei. Taceo quos Lutherani aut Calviniani tenent & propugnant; sed solos innuo, quos Sociniana Mennonistica & Quakeriana Secta ex Scriptura defendere nituntur. Sociniani & Mennonistæ v. g. negant SS. Trinitatem Personarum, negant & Quackeri, quia inquiunt, nec Personæ nec Trinitatis Nomen legitur in Scriptura. Negant item illi infantes esse baptizandos, quia ajunt: Scriptura docet. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult. & Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes creaturas* &c. Ergo inferunt debet præcedere doctrina & fides: hujus autem non sunt capaces infantes, sed solùm adulti. Ergò adulti solùm & non infantes sunt baptizandi. Lotionem pedum Mennonistæ requirunt, quam & Christi D. exemplo & præcepto comprobant Joan. 14. Non jurant eò quòd S. Scriptura juramentum severè prohiberi asserant. Matth. 5. 34. Jac. 3. 12. Perpendantur articuli Thesium Quakerianarum Barclaii, item Confessionis purioris Evangelicæ adductæ Part. I Scrutinii, qui tamen omnes probantur ab hisce hominibus textibus S. Scripturæ ad Speciem sat apparentibus. At inquient Lutherani, Calviniani explicationes & applicationes Scripturæ suis dogmatibus non adhibent secundum Regulas rectæ Interpretationis, nec juxta mentem Spiritûs S. tanquam supremi Judicis. Atqui eò etiam recurrunt Socin. Mennonistæ, Quackeri, atque hi vel maxime, vel ex eo Spiritum S. pro Supremo Judice habentes, quia eum asserunt esse principalem primariam & absolutam regulam fidei, Scripturam S. solum secundariam & subordinatam, secundum hunc igitur Spiritum dicunt se Scripturam S. applicare suis dogmatibus. Quid ad hæc Lutherani? Quid Calvinistæ? Agnoscant se hærere in vado, nec ex illo expediri posse, nisi tandem ad Gubernaculum Autoritatis Magistræ & Gubernatricis Ecclesiæ Catholicæ recurrant.

Nulla ex hodiernis Secta alteri demonstrare potest quod S. Scripturam circa suos fidei articulos depravet.

ARGUMENTUM. VIII.

Ex Nota Hæreticorum, quòd scilicet in probandis suis dogmatibus plùs suo proprio Autori sensui interdum etiam Scripturis colorato, quàm Ecclesiæ Proponentis Magistræ autoritati tribuant.

Nota Hæreticorum sua dogmata autoritati Ecclesiæ non submittere.

CONstans ac perpetua hæc fuit semper in Ecclesia Orthodoxa nota & Characteristica Hæreticorum, quòd sua dogmata haud submiserint Ecclesiæ, ejusdemque Conciliorum atque Patrum Magistræ Autoritati; hâc enim velut ad Lydium lapidem adulterinum aurum probati convincebantur erroris: sed ea, ex proprio sensu S. Scripturæ interdum colorato & palliato promere probareque contendebant. Quod quidem ipsum testatur inprimis nomen quo utimur Græcum Hæresis ab αἱρέω, quod *eligo* unde αἵρεσις & αἱρέτικ@ *ab electione* scilicet sui proprii judicii & sensûs præcipuè in intelligendis & explicandis S. Literis, communi sensu & consensu Ecclesiæ repudiato.

Probatur 1. ex nomine & definitione Hæresis.

Optimè in hanc rem Tertull. de Præscript. c. 6. *Hæreses dictæ græcâ voce ex interpretatione Electionis, quâ quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideò & sibi damnatum dixit (Paul. Tit. 3.) hæreticum, quia & in quo damnatur sibi eligit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quòd aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos D. habemus autores &c.* Unde à S. Ambrosio sic definitur Hæreticus, *Alienus & à numero fidelium, & à sorte Sanctorum qui in aliquo à Catholica veritate dissentit* Ep. 84. Describit hanc ipsam notam Hæreticorum S. Petrus 2 Ep. 3. quando ait: *quosdam indoctos & instabiles, qui S. Pauli Epistolas, sicut & alias Scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem*, seu ex Græco ςρεβλοῦσιν *detorquent Scripturas, quæ sunt originalia instrumenta Christi* juxta Tertull. c. 2. *de Carne Christi*: Scilicet illas è proprio sensu interpretantes, alieno à communi Ecclesiæ mente. Eandem describit & S. Paulus ad Titum 3. 10. 11. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, quia sciens subversus est, cum sit proprio judicio condemnatus.* Quia scilicet ut apud Corn. à Lap. Cyprianus legit *spontè & pertinaciter se ab omnibus fidelibus & à totâ Ecclesia separat* (intellige diversum ab illa sentiens, atque etiam proprio judicio, & sensui plus tribuens & fidens, quàm totius Ecclesiæ) *extra quam non est salus, sed certa damnatio.* Qui sensus etiam est Irenæi, qui, ut paulò post videbimus

Definitio hæresis ex S. Ambrosio. S. Petro.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

mus, ait utrumque hunc locum complectens. *Unusquisque ipsorum omni modo perversus semetipsum Regulam Veritatis depravans prædicare non confunditur* Et id quidem SS. PP. disertè testantur.

S Irenæo. Agnovit id Irenæus Lib. 3. c. 2. hic cùm præmisisset *Hæreticos cum ex Scripturis arguuntur in accusationem converti ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem.* Ubi nota S. Patrem inducere hæreticos prætendentes traditionem suam propriam ut Valentini, Marcionis, Cerinthi, Basilidis ut patet ex contextu, non autem veram Apostolicam: ait enim de his quod *unusquisque ipsorum omnimodo perversus semet ipsum Regulam veritatis depravans prædicare non confunditur.* Deinde ad veram Apostolicam traditionem descendit. *Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur provocamus eos, qui adversantur traditioni, dicent se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes Sapientiores sinceram invenisse veritatem, se indubitate, & incontaminate & sincere absconditum scire Mysterium, Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos.* Hæreticorum itaque est suo proprio inniti sensui contra Apostolicam traditionem per successiones Presbyterorum in Ecclesia hoc est autoritate ipsius Magistræ Ecclesiæ custoditam, servatam, atque firmatam.

S. Cypriano. Testantur & S. Cyprianus ep. 55. ad Cornel. Scrut. Parte 2. §. 2. Declar. 3. citatus quandò ait: *Neque aliundè Hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, ac ad tempus Judex vice Christi cogitatur* (intelligit hic summum Pontificem Romanum, qui tum erat Cornelius, cui hæc scribebat) *cui si secundum Magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret &c.* Vide sequentia loco citato.

Ex Origine. Testatur idem Orig. tr. 29. in Matth. *Dicet qui seducere voluerit nos & defendere contraria veritati, Ecce hic est Christus demonstrans v. g. hunc Evangelii locum, alterius autem erroris autor dicit: Ecce hic est Christus offerens ad exemplum alterum textum qui videtur defendere mendacii illius verbum quod proposuit vendicare: & sic ex lege, & Prophetis & Apostolis profert unusquisque mendacium illud ut veritatem* &c. *Sed nos illis credere non debe-*

bemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis &c. *Quodcunque* (qui Schisma faciunt) *professi fuerint de Scripturis & de Mysteriis, quæ sunt in iis ad demonstrationem, nolite credere quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente & apparenti usque ad occidentem? Qualis est veritas Ecclesiæ DEI, ab ea enim sonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum* Psal. 18. Consentit Hilarius Lib. 2. de Trinit. cit. Scrut. Ver. fid. p. 17.

Et D. Basilius Lib. de Spir. S. aduersùs hæreticos disputans dum illi ad S. Scripturam appellabant, eos ad Ecclesiæ autoritatem revocat, quam illi refellebant. *Sanè*, inquit, *contra id quod dicunt Præpositionem cum carere testimonia, nec in Scripturis exstare. Illud dicimus; si nihil aliud receptum est absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra Scripturam recepta sint nobis, cum aliis plurimis & hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse etiam non Scriptis traditionibus adhærere* D. Chrysost. hom. in Psal. 118. ait *neque hæretici ex Divinis literis locuti sunt, sed mendacio conteguntur, illudque confirmant. Nos autem qui Evangelium sequimur, & rectè de Divinis rebus sentimus quemadmodum accipit S. DEI Catholica Ecclesia sic loquimur.*

D. Basilio.

D. Chrysostom.

Idem in Epist. ad Galat. in illa verba, *miror quod sic tam citò transferimini in aliud Evangelium* ait: *quòd fraudi prætexentes, Evangelii nomen impunè perfodiunt domum Ecclesiæ Christi, imposturamque suam appellant Evangelium, & multa repleti elatione everterint ordinem*, scil. suum potius autorem sensum sequentes quam Ecclesiæ.

Item in Ps. 118. *Hæretici multa narrant ac Magistrorum faciem præferunt, mendacium pro subsidio habentes, nec de Divinis Scripturis aliquid loquuntur, aut si loquuntur ad cupiditates suas torquent, verum ut iniqui & flagitiosi nugantur & fallunt.*

Item in Matth. 24. Hom. 49. *sunt hæreses quæ mendacia sua quodammodo Scripturarum colorant autoritatibus, & quæ Scripturæ colorantur exemplis.*

Item Tom. 5. Orat. 8. *Cur tu his vocabulis abolitis, tuorum cogitatuum & conceptuum commenta profers?*

Constat idem ex D. Augustino, qui passim causam Hæresum hanc assignat, quòd *Hæretici Scripturas non rectè intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.* Vide

D. Augustino.

Scrut. Ver. P. 1. Disc. 3. citatum ubi ait, *quod suus cuique autor est animus quid in Scripturâ probet, quid improbet* L. de Gen. ad lit. 7. c. 9. Item in Psal. 10. Item Tract. 18. in Joan. ubi etiam notanda est ejusdem S. Patris præcautio, quod *hæc nobis tenenda sit regula Sanitatis, ut quod secundùm fidem quâ imbuti sumus intelligere in Scriptura valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus, quod autem secundum fidei regulam intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus*, Scil. ad Ecclesiæ Catholicæ decisionem. Rectè enim credendi hanc statuit Regulam, ut scil. in omnibus ad fidem spectantibus insistamus autoritati Universalis Ecclesiæ. Quod patet tum ex loco immediatè adducto, tum ex libro de Bapt. Item Lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 31. *Non est mirum si Pelagiani dicta nostra in sensus quos volunt, detorquere conantur, quandoquidem de Scripturis S. non ubi obscurè aliquid dictum est, sed ubi clara & aperta sunt testimonia id facere consueverunt More quidem hæreticorum etiam ceterorum.* Et Epist. 222. ad Consentium. *Omnes hæretici qui Scripturas in autoritate recipiunt, ipsas sibi videntur Sectari, cum suos potiùs sectentur errores.* Tum quia de Bapt. contra Donatistas 7. c. 53. *Nobis*, inquit, *tutùm est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione D. DEI Nostri & Salvatoris JESU Christi Universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Ergo qui id non asserit censendus est non Orthodoxus, sed hæreticus.

D. Hieronymo. D. quoque Hieron. testatur, quòd hæreses numero 80. (tunc temporis) *de purissimo Scripturarum fonte assumentes testimonia, non ità interpretantur, ut scripta sunt, sed simplicitatem Sermonis Ecclesiastici id volunt significare, quod ipsi sentiunt.* Ep. 60. ad Joan. Jerosol. c. 2.

Idem ait: quod *hæresis senectutem Matris Ecclesiæ despiciat* L. 7. Com. in C. 22. Isaiæ.

Item *hæretici semper in dogmatum suorum sibi quasi sublimitate confidunt, & Ecclesiæ simplicitatem despiciunt* Comm. in Mich. cap. 1.

Tertulliano. Præterea hac de re luculentissimè tractat Tertullianus Lib. de Præscript. tum definiendo cap. 6. ex vi vocis græcæ hæresim ut sup. notatum, tum ostendendo quòd *hæretici non sunt admittendi ad Scripturarum disputationem*, idque ex eo quia ita *censuit* Apost. c. 16. deinde

16. deinde quòd *nihil proficiat congressio Scripturarum cùm hæreses quasdam non recipiant, & si quas recipiant adjectionibus & detractionibus intervertunt, aut non recipiant integras, & si aliquatenus integras diversas expositiones comminiscantur.* Cap. 17. *Tantum*, enim ait 16. *obstrepit adulter sensus quantum & corruptor stylus*, denique quod *faciat ad subversionem audientium.* Unde tandem *dirigit præscriptionem, fidem non aliter probari debere quàm per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis, prædicando tum viva voce, tum per epistolas* cap. 21.

Denique Vincentium Lirinensem audiamus cap. 35. Lib. advers. prof. hæresum nov. *Monstratur hoc apud omnes ferè hæreses quasi solenne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, Antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent. Contra verò Catholicorum hoc ferè proprium, deposita SS. PP. & commissa servare, & damnare profanas novitates.* Tum sequenti capite ostendit, quomodo hæretici *Divinæ Scripturæ testimoniis utuntur: sed tantò magis cavendos* ait: *quantò occultius sub Divinæ Legis umbraculis latitant.*

Vicentius Lirinensis.

Hoc ipsum argumentum egregiè pertractat Cap. 37. Ubi *hæreticos diabolo tentanti Christum* comparat, qui etiam illo verbo ut Diabolus Matth. 4. utuntur. *Scriptum est enim, & sicut diabolus ait: mitte te deorsum, ità isti dicunt: Mitte te deorsum, id est ex istius te sublimis Ecclesiæ quæ etiam templum Dei putatur doctrina & Traditione demitte.* Ostendit ergo hæreticorum esse ab Ecclesiæ Magistra Autoritate recedere: Mox addit quomodo sua prava dogmata S. Scripturæ verbis colorent. *At si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem: Unde probas? unde doces? quod Ecclesiam Catholicam Universalem & antiquam fidem dimittere debeam? statim ille scriptum est enim, & continuò mille testimonia, mille exempla, mille autoritates parat de lege, de psalmistis de prophetis, de Apostolis, quibus novo modo interpretatis ex arce Catholica, in hæreseos barathrum infelix anima præcipitatur.*

Hæc igitur sunt & plura alia, quæ silentio prætereo SS. PP. testimonia quibus id comprobant, quod hæc sit hæreticorum Nota & characteristica, eos in probandis suis dogmatibus plus suo proprio autori sensui, quanquam interdum pulchro S. Scripturæ pallio induto deferre, quam Magistræ S. Matris Ecclesiæ autoritati.

Quamobrem quis non videt necessario concedi debere præter

S. Scripturam, Regulam passivam esse, aliam distinctam activam seu Regulantem Proponentem Interpretemque illius atque adeò Judicem Controversiarum ac credendorum videlicet ipsam Ecclesiam Catholicam. Unde etiam concludit Vinc. Lirinensis *atque idcircò multum necesse est propter tantos tamque varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

ARGUMENTUM IX.

A perpetua Praxi, & Usu Ecclesiæ ac præprimis in Conciliis Oecumenicis.

VEritatem Propositionis Nostræ quòd scilicet Veritates fidei Divinæ veræ Christianæ dictas seu revelatas a DEO non alius sit Proponens, adeoque Regula activa, regulans, Interpres & os Domini, Magistra Autoritate vicaria Christi docens, Judexque fidei, quàm Ecclesia Catholica ab usu & Praxi Ecclesiæ perpetua probavimus Scrut. Parte 2. præcipuè ex Vincent. Lirin. Nunc ab eadem Praxi idem luculentius probandum est. Et quia Concilia Generalia Oecumenica seu ut illa vocat S. August. *Plenaria* Ecclesiam Orthodoxam repræsentant, ideoque inprimis Autoritate eorundum Veritatem dicti nostri comprobemus. Quæ Conciliâ etiam apud Adversarios præsertim Lutheranos & Calvinistas non levem autoritatis æstimationem obtinuerunt.

Praxim hanc inprimis Apostoli exemplo suo docuerunt in Concil. Hierosolymitano.

Incipiamus a Primo in Ecclesia Concilio. Primi Apostoli docuere Ecclesiam in dubiis & controversiis rerum credendarum & agendarum inter fideles exortis, recurrendum esse non ad solam Scripturam, sed Ecclesiam in Concilio, seu Congregatione PP. & Seniorum Ecclesiæ collectam Act. 15. De quo Concilio Venerab. Beda in Lib. Retract. in Act. Apostolorum ait. *Convenerunt Apostoli & Seniores videre de Verbo hoc. Non quòd de re ipsa aliquid dubitarent, sed ut mentes dubitantium Apostolicæ Synodi autoritate firmarentur.* In hoc igitur Concilio nihil ex Scriptura sed solùm id quod *visum erat Spiritui Sancto*, & illismet nim. Apostolis à Spiritu S. edoctis decrevere.

Non commemoro hic alia quæ post Apostolorum tempora celebrata sunt Concilia. Sola tantùm quatuor priora Oecumenica seu Generalia in medium adduco, de quibus etiam Parte 1. Scrutinii Discur. 10. reflex. ult. mentio facta. Quibus D. Gregor. M. *tanquam*

quam quatuor Evangeliis honorem haberi voluit, in vita ejus. Quæ etiam Lutherani & Calviniani pro Sanctis habent, de quo illorum Libri Symbolici testantur.

Primum est Nicenum, in hoc Ecclesia quæ tum temporibus erat in 318. Patribus repræsentabatur, definivitque contra hæreticos præcipuè Arium, non ex sola S. Scriptura, sed ex veterum Patrum & Doctorum totiusque Ecclesiæ primitivæ unanimi, ac perpetuo sensu & consensu, seu secundùm regulam & lineam doctrinæ, quam velut per manus sibi traditam in Ecclesia Catholica accepêre. Testis hujus est Athanasius invictus contra Arianos Archistrategus Epist. ad Afros. *Quod autem*, inquit, *obmurmurare solent* (Ariani) *in Scriptura has voces* (homousion) *non reperiri*, *stolida est refutatio. Qui enim ex alienis à scriptura verbis struxere impietatem* (id quod ajebant, de nihilo esse filium, & fuisse aliquando, cùm non esset) *queruntur se de iis*, *quæ in Scriptura non reperiantur esse damnatos; Episcopi verò non sibi illas voces finxere*, *sed testimonio usi Patrum*, *ità perscripserunt. Fuere enim Episcopi abhinc annos circiter trecentos & triginta: unus magnæ Romæ*, *& alter Vestræ Urbis* (Carthaginis) *qui redarguerunt asserentes creaturam esse Filium*, *& non coëssentialem cum Patre. Neque hoc latebat Episcopum Cesareæ Eusebium* (Arianum) *qui affirmavit reperiri quosdam priscos doctos*, *& spectatos Episcopos scriptores usos coessentialitatis voce cum Patre*, *& Filii Divinitate.* Imò & ipse Eusebius in Epist. de fide Niceæ apud Theod. L. 1. C. 10. propterea se victum assensumque Patribus Nicenis fatetur. Unde de eodem Concilio Athanasius in Libel. de Decr. Nicenæ Synodi concludit. *Ecce nos demonstravimus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem novi Judæi*, *& discipuli Caiphæ quos verborum vestrorum Patres & Majores demonstrabitis?*

Confirmatur quatuor Primis Conciliis Generalibus. 1. Niceno.

Secundum Concilium Constantinopolitanum adversùs Macedonem Eunomium & alios institutum fuit. In hoc etiam Patres Concilii 150. collecti universè sancivere, ut si ad Scripturam pertinens Controversia exorta fuerit, eam, qui præsunt Ecclesiis non aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ Doctores scriptis suis exposuerunt Concil. Constant. in Trullo c. 19. & apud Jod: Coccium Thes. Cathol. Epist. ad Lect.

Secundo Constantinopolitano.

Tertium Ephesinum contra Nestorium, & in hoc collecti ducenti Patres testantur *se omnium SS. PP. confessiones*, *quas loquen-*

Tertio Ephesino.

te

te in eis Spiritu S. protulerunt ſecutos; eorumque intentioni æquis inhærere veſtigiis Concil. Tomo 1. m. pag. 536. Quin & Caſſiodorus in Hiſtor. Trip. L. 12. C. 4. & ſeq. deſcribens hoc Concilium affirmat Neſtorium ideò in errorem incidiſſe, quia *dum naturaliter eloquens fuiſſet, ſe putabat edoctum & Libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere*, & paulò poſt, *apparet igitur Neſtorium ignoraſſe Lectiones Antiquorum.* Si ergo Neſtorius ideò erravit, quia Antiquorum Patrum & Interpretum libris dedignabatur incumbere, adeoque illorum ignorabat Lectiones, conſequens eſt omnino ut orthodoxus quiſque eorundem libris incumbat, ex iis velut è limpidis & incorruptis fontibus doctrinam Orthodoxam hauriat, ne in ignorantiam, quin perverſum atque hæreticum errorem incidat? De eodem Concilio ita teſtatur Vincent. Lirin. contra profanas hæreſum Novationes Cap. penult. Ubi (ſupple in Concil. Ephes.) *cum de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan profana novitas, in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet. Univerſis Sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholiciſſimum, feliciſſimum, atque optimum factu viſum eſt, ut in medium SS. PP. ſententiæ proferrentur, quorum alios Martyres, alios Confeſſores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuiſſe, & permanſiſſe conſtaret: ut ſcilicet ritè, atque ſolenniter, ex eorum conſenſu, atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ novitatis dogma condemnaretur.* Quid in rem noſtram evidentius?

Quarto Chalcedonenſe.

Quartum denique Generale Concilium Chalcedonenſe 630. Patrum contra Dioſcorum habitum Act. 1. *ſi aliquos repererit de ſuis cordibus ſinceritatem pietatis ejicientes, & ea quæ creduntur, arte Verborum in dubium perducentes, præter expoſitionem SS. PP. væ illis ab utraque ſententia, id eſt, Dei & Imperatoris.* In eodem Concilio Dioſcorus dixit. *An vultis fidem SS. PP. innovare? Sancta Synodus dixit, ſi quis innovat, Anathema ſit, ſi quis diſcutit, Anathema ſit. SS. Patrum fidem ſervemus.* Idem Concilium Act. 4. teſtatur ſe *eandem fidei Regulam, quæ apud Niceam à Patribus eſt conſtituta ſequi & tenere, ſimiliter & Synodi Conſtantinopolitanæ centum quinquaginta Patrum & Epheſinæ fidem amplecti*, Conciliorum Tomo. 1.

Patet igitur ex his 4 generalibus Conciliis, ut reliqua taceam, eam fuiſſe perpetuam Eccleſiæ Praxim, quod in iis congregati Patres in dubiis fidei rebus non ad ſolam S. Scripturam, ſed ſigillatim

tim ad ſenſum & conſenſum Majorum ac Patrum veterum totiuſque Eccleſiæ ſeſe contulerint, illorum unanimem ſententiam & conſentientem fidei confeſſionem pro Regulante, Proponente, & Judice fidei habentes.

ARGUMENTUM X.

Ab Autoritate SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ.

EUndem Uſum & Praxim perpetuam Eccleſiæ Orthodoxæ confirmant SS. PP. & Doctores Eccleſiæ extra Concilia. Primum toti Eccleſiæ exemplum cum anteceſſoribus & ſenioribus Eccleſiæ Patribus doctrinam fidei conferendi præbuit S. Paulus Doctor Gentium qui ſe fatetur *ultimò poſt alios ad Apoſtolatum Vocatum per Viſionem in via* 1 Cor. 15. Apoſtoloſque vocat *ſuos anteceſſores* Gal. 1. 17. Hic quantumvis ad Gal. 1. *Evangelium* ſuum *neque ab homine accepit, neque didicit, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*; nihilominus ad Gal. 2. de ſe ipſo ſcribit, *Aſcendi* (Hieroſolymam ad anteceſſores Apoſtolos) *ſecundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis qui videbantur aliquid eſſe ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Ergone tantus Apoſtolus de ſui ſucceſſu Evangelii dubitabat, niſi illud cum communi fidei doctrina contuliſſet? D. Hieron. ad hunc locum in Epiſt. 11. quæ eſt apud Auguſt. reſpondet. *Expoſuit Paulus Apoſtolis Evangelium quod prædicabat inter Gentes, oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi niſi Petri, & qui cum eo erant, fuiſſet ſententiâ roboratum.* Tertull. L. 4. contra Marcionem addit, ut *cum autoribus contulit & convenit de Regula fidei dexteras miſcuere.* Et Auguſtinus contra Fauſtum L. 28. c. 4. *Si non inveniſſet in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium ejuſdem ſocietatis eſſe appareret; Eccleſia illi omninò non crederet. Sed cum agnoviſſent illum hoc annuntiantem quod illi annuntiaverunt, & in eorum communitate, atque unione viventem, meruit autoritatem.* Nimirum non ex ſolo Verbo DEI ſcripto; neque etenim adhuc eò temporis erant novi Teſtamenti conſcripti Libri; adeoque nec ex eiſdem Evangelium annuntiabatur, ſed ut Tertull. de præſcript. c. 21. *Viva voce prædicando.*

SS. PP. & Doctores Eccleſiæ hanc Praxim confirmant. Inpr. S. Paulus exemplo ſuo omnibus præluxit.

Porro id quod S. Paulus exemplo declaravit etiam ſcripto comprobavit, cum ait 2 Tim. 1. *Formam habe ſanorum verborum quæ*

 à me

S. Paulus idem etiam Scripto comprobat.

à me accepiſti. Hanc autem *formam* ſive *exemplar* hic, ὑποτύπωσιν, ad Titum autem διδαχὴν appellat, monetque ut *amplectatur eum qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem*, quæ ſcilicet doctrina penes Doctores, Paſtoreſque Eccleſiæ cuſtoditur. Item ad Philip. 3. 16. *Idem ſapiamus, in eadem permaneamuſque Regula, imitatores mei eſtote, & obſervate eos qui ità ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Regulam hic vocat non Scripturam, ſed doctrinam, quam primitùs non ſcriptô, ſed verbô & ore acceperunt fideles traditam, tàm ab ipſo Paulo, quàm ab aliis Apoſtolis.

Præeuntem D. Paulum ſuo exemplo ſecuti ſunt omnes, quotquot ſunt veteris Eccleſiæ Orthodoxi Patres & Doctores. Citius me dies deficeret, quàm ut longum omnium ordinem recenſerem.

Praxim hanc Orthodoxorum teſtatur Euſebius

Euſebius teſtatur tribus primis ſeculis plurimos ſe ſacrarum rerum Scriptores, & Divinæ Scripturæ Interpretes præceſſiſſe, quorum plurima extabant opera, quæ legit & vidit ipſe Euſebius, & Hieronymus in ſuo Catalogo recenſuit; non omnia tamen autoris ſui nomen prælatum habebant. Alii enim libri, inquit Euſeb. L. 5. c. 26. *aliorum multorum Eccleſiaſticorum Scriptorum, verè de Religione & fide ſentientium, ad nos pervenerunt, tamen quia Autores eorum nobis incogniti ſunt, quod illorum nomina in libris minimè inſcripta reperiantur, iſtorum nomina recenſere non poſſumus.* In uno igitur ex his Orthodoxis Libris hæc ſcripta contra Artemonis hæreſim habebantur, quæ inde exſcripta in ſuam hiſtoriam Euſebius tranſtulit ib. c. 17. *Ajunt iſti* (hæretici) *Majores noſtros, & ipſos Apoſtolos ea quæ ipſi jam affirmant, non modò à Domino accepiſſe, verùm etiam alios docuiſſe eadem, & veram prædicationis rationem uſque ad Victoris* (*Papæ*) *tempora, qui decimus tertius à Petro Romæ Epiſcopus fuit, integrè ſervatam illam quidem, ſed à Zephirino illius ſucceſſore penitus corruptam & depravatam fuiſſe.* Nimirum hoc eſt quod etiamnum Eccleſiæ Romanæ fruſtra objiciunt Diſſidentes. Sed pergit Euſeb. *Atque profectò quòd ab illis dicebatur, multùm fortaſsè videri potuiſſet habere probabilitatis, niſi primum S. Scripturæ teſtimonia illis contradicerent* (en primum fidei principium, ſeu Regulam, ut aliàs loquor paſſivam) *deinde Fratrum quorundam ſcripta ſupereſſent Victoris temporibus antiquiora multò, quæ illi cùm contra Gentiles pro veritatis defenſione, tùm contra hæreſes, quæ id temporis graſſabantur, ſcripſerunt, ut Juſtini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & aliorum nonnullorum,*

in

in quorum omnium libris Christus verè DEVS esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis ceterorum Libros ignorat? Qui Christum DEVM & Hominem constanter asseverant? Quod item Psalmi, quod hymni à fratribus, fidelibus antiquitùs perscripti, qui Christum Verbum DEI verum DEVM esse concentu quodam celebrant? Cum igitur ex tot annorum spatio doctrina Ecclesiastica verè annuntiata fuerit, quomodo fieri potest ut illi Patres, qui ad Victorem usque vitam produxerunt, sic ut isti asserunt, prædicarint? Quid hoc aliud quàm recursus ad Proponentem DEI Veritatis Primæ dictionem, seu Regulam fidei activam regulantemque ac Magistram Ecclesiam, cujus Orthodoxa fides & doctrina ab Apostolis accepta in Patribus, eorumque scriptis conservabatur.

S. Clemens docet Intelligentiam Scripturarum à majoribus accipiendam.

Ex his Patribus audiamus ex antiquissimis loquentem inpr. Clementem D. Petri discipulum Ep. 5. *Oportet*, ait, *ab eo discere intelligentiam Scripturarum, qui eam à majoribus secundum Veritatem sibi traditam servavit, ut & ipse possit ea, quæ rectè accepit, competenter asserere.* Et Dionysius Pauli assecla *ad Sanctissimarum Scripturarum intelligentias prout illas à PP. accepimus contuendas, pro viribus pergamus.* Irenæus Lib. 3. c. 4. *Tantæ igitur ostensiones cùm sint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere Veritatem, quàm facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis, uti omnis quicunque velit sumat ex eo potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & Latrones; propter quod oportet devitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ cum magna diligentia diligere & apprehendere Veritatis Traditionem.* Pergit porrò S. Pater idem clariùs confirmare. *Quid enim etsi quæ de modica aliqua quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere* Ecclesias, *in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est. Quid autem si neque Apostoli quidam Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis quæ tradiderant iis, quibus committebant* Ecclesias, *cui ordinationi assentiunt multæ Gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* Quàm clarè hic S. Pater indigitat Ecclesiam esse Proponentem & docentem nos quid à Deo sit dictum & revelatum.

S. Dionysius Intelligentias ait Scripturarum prout illas à PP. accepimus contuendas.

Irenæus inquit Veritatem ab Ecclesia sumendam in qua Apost. velut in dives depositorium contulerunt omnia.

Ecclesia Vitæ introitus.

In dubia quæstione ad antiquissimas Ecclesias recurrendum.

Idem Lib. 4. C. 43. in ipso inpr. titulo ponit quòd *sola Ecclesia* re-

Sola Ecclesia rectè legit Scripturas.

Illis in Ecclesia Presbyteris obaudiendum qui successionem habent Episcopatus ab Apostolis. Respondetur Objectioni ex S. Irenæo sumtæ. S. Basil. & Gregor. ex majorum scriptis & autoritate Apostoli eam successionem habentium totam doctrinam hauriebant. Nectarii Consilium datum Theodosio Imper. cum Arianis concertationes Dialecticas vitandas & formulas fidei à Veteribus acceptas proferendas. Eusebius Vercell. Episc. cum Athan. Concilium celebrat ad roboranda Ecclesiæ dogmata contra Arianam hæresim.

rectè legat Scripturas, deindè cum ostendisset *Scripturas esse velut thesaurum absconsum in agro, expositionemque illarum non tam esse facilem* declarat quisnam Interpretis, & regulantis, seu Regulæ activæ adeoque Proponentis vices obire debeat? *Quapropter* ait, *eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à Principali Successione & quocunque loco colliguntur suspectos habere vel quasi hæreticos* &c. Idem confirmat. L. 4. c. 63.

Et verò existimant aliqui Dissidentium hunc Patrem sibi patrocinari, contra nos verò sententiam pronuntiare cum ait L. 3. c. 1. *Apostolos Euangelium primùm quidem præconiavisse, postea verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradidisse fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* At utraque velim manu hunc Patrem amplectantur, teneant sanè unâ manu hæc ab illo dicta, ast altera premant etiam paulò ante allegata. Nimirum fundamentum & columna fidei nostræ sunt scripturæ, ast Veritas ex illis ab Ecclesia sumenda, in qua *Apostoli plenissimè velut in dives depositorium contulerint omnia quæ sunt veritatis. Sola* item Ecclesia *rectè eas legit.* Denique *in eis intelligendis obaudire oportet eis qui in Ecclesia sunt Presbyteri successionem Episcopatus ab Apostolis habentes.*

De S. Basilio & Gregorio testatur Ruffinus in Hist. Eccl. L. 2. c. 9. quòd adolescentes cum essent, & sacris studiis operam dare cœpissent, earum *intelligentiam non ex propria præsumtione sed ex majorum scriptis & autoritate, sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi Regulam suscepisse constabat.*

Compertum est & de Nectario Constantinop. Patriarcha eum id quod à Sisennio viro valdè docto suggestum erat, ad Theodosium Imperatorem retulisse de Doctorum veterum in causa Ariana urgendis præjudiciis, & ut cum Arianis concertationes Dialecticæ vitarentur, sed formulæ fidei à Veteribus acceptæ in medium proferrentur, quo consilio Arianorum & novitatem, & dissensionem prodidisse fertur Socrat. L. 5. c. 10.

Sic eodem teste L. 6. Eusebius Vercellensis Episcopus, Orientalis Ecclesiæ Ariana & Meletii peste laborantis statum miseratus, *veniens Alexandriam cum Athanasio ut Ecclesiæ dogmata roborarent Concilium celebravit.* In eo Concilio ait Socrates, *Convenerunt ex diversis Civitatibus Episcopi de maximis necessariisque rebus habuêre tractatum: ubi etiam de S. Spiritus Divinitate tractantes*

eum

eum in consubstantiali Trinitate comprehenderunt. Et Verbum in humana tum non solùm carne, sed etiam anima declararunt sicut olim viris Ecclesiasticis complacuerat. Non enim novam Religionem introduxerunt in Ecclesiam; sed quomodo ab initio Ecclesiastica Traditio docuit Christianos. Sic enim omnes Antiqui ex hoc habita hujus disputatione sermonis, Scripturam nobis probatissimam reliquerunt. Ibid. Cap. 20. Atque hic etiam citantur Irenæus, Clemens, Appollinarius, Serapion & alii, quos Synodus illa Alexandria secuta est.

S. Spiritus Divinitas consubst. Patri & Verbo definita è sensu Ecclesiasticæ traditionis.

Unde etiam idem Athanasius de Incarn. Verbi DEI ad finem, & libro *Contra Idola* apertè loquitur. *Sacram quidem Scripturam à Viris rerum Cœlestium peritis, & ab ipso* DEO *conscriptam esse, se autem cognitionem & sensum Scripturarum à Magistris divinitùs afflatis, qui eos libros evolverunt, & sese Divinitatis Christi Martyres exhibuerant, hausisse.*

S. Athanasius ait se cognitionem & sensum Scripturæ à Magistris divinitus afflatis hausisse.

Epiphanius hæresi 61. *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Sanctæ Scripturæ, & successiones doctrinæ, & undequaque Veritas* DEI *munita est.* Ubi cùm condistinguat *Scripturam S.* ab *Apostolorum traditionibus*, & *successionibus doctrinæ*, non solam S. Scripturam statuit Regulam completam, seu quæ simul sit regulans, & Interpres sensus Scripturæ, eundemque Proponens; sed id muneris esse Ecclesiæ Catholicæ, declarat. Idem hær. 75. *Jam verò utri tandem illorum peritiores sunt?* (comparat hæreticos cum SS. PP.) *an errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit, & adhuc hodie superstes est? an qui ante nos testes extiterunt, quique ante nos eandem traditionem in* Ecclesia *tenuerunt, quam & ipsi à Parentibus suis acceperunt, & ipsorum Parentes à Majoribus suis didicerant, quemadmodum* Ecclesia, *quam à Patribus suis accepit rectam ac sinceram fidem cum traditionibus ad hunc usque ad diem observat? facessat igitur &c.*

Epiphanius Terminos ait positos esse & fundamenta in S. Script. & Apost. traditione.

Hanc ipsam Praxim Ecclesiæ confirmant Ecclesiæ Doctores Basilius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, &c.

D. Basilii testimonium Eunomius nolebat deterri Antiquitati & multitudini in Ecclesia.

D. Basilius Lib. I. contra hæreticum Eunomium, postquam eundem induxisset alloquentem Auditores vel Lectores *ne velint Majori parti plus attribuere, ac multitudine Verum à falso discernere, neque dignitati quorundam plùs his qui præoccupaverunt deferendo, posterioribus aures observare* respondet. *Quid tu narras? non dabimus*

D. Basilius eum refellit.

Ingemiscit quod PP. dogmata contemnantur Apostolicæ traditiones annihilantur.

Ad confutandos hæreticos non sola Script. sed magis Antiquiorum in Ecclesia Autoritate ac consensu utendum.

S. Dionysius loquebatur non è suo sensu sed forma & regula à majoribus accepta.

Librum sacerdotalem S. Scripturæ designare nemo audeat per propriam interpretationem.

Periculosum est fidem Catholicam discutere velle tot sanguine MM. confirmatam.

Hæretici sunt qui Scripturam non secundum traditionem Eccles. Catholicæ interpretantur.

mus plus Antiquitati? non reverebimur Christianorum multitudinem tam eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Evangelium prædicatum est. Nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni Spirituali gratiâ claruerunt? Quibus tu omnibus inimicam hanc impietatis viam, & hostilem nuper excogitasti? & post pauca, *O contumaciam hominis!* &c. Ingemiscit idem Epist. 61. quòd *Patrum dogmata* (ab hæreticis) *contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur recentiorum hominum inventa Ecclesiis inseruntur &c.* Sed illud vel maximum pondus apud quemque habere debet, quòd idem S. Pater Lib. de Spiritu S. Cap. 19. *ad confutandos hæreticos non solâ Scripturâ sed magis antiquorum in Ecclesia patrum autoritate, eorumque consensu utendum* censuerit, articulumque de Spiritu S. unâ cum Patre & Filio æque adorando & venerando ex eorundem ore stabiliverit. Ubi postquam dixisset *Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere, & veneranda esse vetusta dogmata, quòd ob antiquitatem, ceu caniciem quandam habeant quiddam venerandum*, enumerat non paucos Antiquiores Patres, Irenæum, Clementem Romanum, & Alexandrinum, Dionysium, Eusebium, Palæstinum, Originem & alios: quos ac præcipue Dionysium adducit ipsummet de se testem eum locutum esse, *non è suo sensu, sed forma atque regula à majoribus acceptâ.*

S. Ambrosius idem confirmat pluribus locis, præcipuè autem Lib. de fide ad Gratianum Cap. 7. *servanda esse præcepta majorum & librum Sacerdotalem designare nemo audere debet signatum à Confessoribus, & multorum jam Martyrio consecratum? quem qui designare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt. Qui violare non ausi sunt, Confessores & Martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare quorum Victoriam prædicavimus.* Per Librum Sacerdotalem intelligit S. Scripturam, quæ cùm sit velut signatus liber, nemo eum designare per explanationem, novorumque dogmatum introductionem audeat, cùm sit à tot Confessoribus & Martyribus quodammodo signatus, quorum proinde fidei insistendum esse docet. Item Serm. 93. in Natali SS. Martyrum Nazary & Celsi, energice ait *periculosum esse fidem Catholicam discutere velle, tot Martyrum sanguine confirmatam.* Item in Cap. 2. ad Rom. ait hæreticos esse, qui *Scripturam S. non interpretantur secundùm traditionem Ecclesiæ Catholicæ.* Plura hujus S. Patris testimonia videri possunt in Confessione Ambrosiana Joan Kopelii.

D. ve-

D. verò Augustinus idem longè pluribus confirmat locis & testimoniis. Inprimis Lib. contra Julian. Pelag. 2. versus finem. Ubi in confutatione hæreticorum dogmatum confugit ad Autoritatem SS. PP. qui ante vixerunt, *quâ sola*, ait, *fragilem & argutulam hæreticorum novitatem conteri, præterquam quod ea dicunt, ut se per eos loqui ipsa veritas testetur.* Epist. 3. ad Fortunat. sub finem plures SS. PP. Ambrosium, Hieronymum, Athanasium, Gregorium & alios adducit ut probet, *Deum non esse corpus, nec formæ humanæ habere membra, nec per locorum spatia esse divisibilem* &c. Item Lib. 3. Hypog. Tom. 7. apertè dicit. *Tunc à nobis limes fidei sanæ defenditur, quando termini quos posuere SS PP. non transferuntur à nobis, imo observantur & defensantur.* Item Tomo 7. de Bapt. contra Donatum L. 7. c. 53. *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate, sententiæ quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione D. DEI Nostri & Salvatoris JESU Christi Universalis Ecclesiæ Confessione est roboratum.* Item ib. L. 5. c. 22. *Illa quæ ad Quintum scribit* (*Cyprianus*) *cum collegis suis benè considerata nullo modo præferenda sunt adversus totius Ecclesiæ Catholicæ consensionem.* Item Lib. 2. de Nupt. & Concupisc. C. 29. ait *quid dicam de ipsis divinarum Scripturarum tractatoribus, qui in Ecclesia Catholica floruerunt? quomodo hæc non in alios sensus conati sunt vertere, quoniam stabiles erant in robustissima & antiquissima fide, non autem novitio movebantur errore.*

Sola SS. PP. autoritate fragilis & argutulà hæreticorum novitas conteritur.

Fidei sanæ limes defenditur tunc, quando termini quos posuere SS. PP. defensantur.

Conciliorum Autoritas.

Illud credendum quod universalis Ecclesiæ Confessione est roboratum.

Tractatores Scripturæ in robustissima & antiquissima fide stabiles non movebantur novitio errore.

Deinde citat Ambrosium. & Cyprianum &c. pro *antiquissima Ecclesiæ traditione, quâ exorcizantur & exsufflantur parvuli*: quæ utique in S. Scriptura haud leguntur ceremoniæ.

Item Lib. 1. Contra Julianum Pelag. Cap. in Partit. Oper. adducit in medium honorifico unicuique adjecto elogio ex occidente Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Innocentium Papam: ex Oriente Gregorium Nazianz. Basilium & fratrem ejus Gregor. Nissenum Joan. Chrysostomum: enumerat deinde & alios 14. Orientales Episcopos. Possent plura ex eadem contra Julianum tractatione adduci, sed ne sim longior avidum Veritatis lectorem remitto ad eundem. Ubi ea vel maxime S. Patris notanda sunt verba Lib. 2. prope finem. *Quod invenerunt* (scil. hi SS. Patres) *in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradide-*

S. August. plures numerat PP. tam ex Oriente, quam Occidente.

Qui quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt.

quod à PP. acceperunt, hoc filiis tradiderunt.

diderunt. Plura qui volet ejusdem S. Patris testimonia legere videat Confessionem ejusdem editam à Hieronymo Torrensi nostræ societatis.

Consilium D. Augustini viam Catholicæ disciplinæ sequendam esse quæ à Christo D. & Apostolis ad nos usque manavit.

Claudat tamen agmen ejusdem Testimoniorum illud quod ait L. de utilit. credendi cap. 8. *Si jam satis tibi jactatus videris finemque hujusmodi laboribus vis imponere, sequere viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo, ab Apostolis ad nos usque manavit, & ab hinc ad posteros manatura est.* Et contra Epist. Pelag. L. 4. c. 15. *Fides vera, vereque Christiana atque Catholica sicut per Scripturas S. antiquitus tradita, sic à Patribus nostris usque ad hoc tempus, quos isti (hæretici) eam convellere tentarunt retenta, atque servata, & dein propitio DEO retinenda atque servanda.*

Hæretici mendacio conteguntur, Orthodoxi contra ità sentiunt prout à S. Dei Eccles. Catholica acceperunt. Hæretici fraudi prætexunt Evangelii Nomen. Impunè perfodiunt Domum Ecclesiæ Christi. Multa repleti mentis elatione omnia evertunt. Prælati Ecclesiæ etiam improbi audiendi. Nefas est judicare alium quantò magis doctorem Ecclesiæ.

Sed veniat & D. Joannes Chrysost. aureum illud Os Ecclesiæ in Testimonium Homil. in Psalm. 118. loquens de hæreticis ait. *Neque ex divinis literis locuti sunt, sed mendacio conteguntur illudque confirmant. Nos autem qui Evangelium sequimur & rectè de Divinis rebus sentimus, quemadmodum accepit Sancta Dei Ecclesia Catholica, sic loquimur.* Item in Epist. ad Galatas scribens super illa verba D. Pauli, *miror quòd sic tam citò transferimini in aliud Evangelium* &c. postquam redarguit hæreticos quòd *fraudi prætexentes Evangelii Nomen impune perfodiunt domum Ecclesiæ Christi, imposturamque suam appellabant* Evangelium, *& quòd omnium maximum immutent: & quòd multâ repleti mentis elatione everterint ordinem*, tandem ait. *Etiamsi qui præsunt improbi forent, innumerisque scaterent malis, nec sic quidem fas esset discipulo dictis non audientem esse. Etenim si de Judæorum Doctoribus dictum est, quoniam super Cathedram Mosis sedebant, eos esse dignos qui à discipulis audirentur, quanquam operibus erant tam malis, ut Dominus præceperit, ne illa imitarentur quâ veniâ digni erunt, qui Ecclesiæ Præsules per gratiam DEI modestè viventes conspuunt, & conculcant? Quod si nefas est ut alius alium judicet, quanto magis fas non est judicare Doctores?* Ubi S. Doctor ostendit Ecclesiæ Præsules & Doctores audiendos esse, indubie S. Scripturam explicantes docentes, adeoque Ecclesiam in illis esse S. Scripturæ & dogmatum fidei interpretem, regulantem atque Judicem.

Mysteria Veritatis Margaritæ cochleis in-

Item Tom. 2. in Matth. c. 7. postquam ostendisset Mysteria Veritatis esse *Margaritas inclusas cochleis, & intùs in altitudinem Scripturarum posita, quas* subjungit, *non omnis invenire potest, nisi vir Spiritualis, qui habet exercitationem Spiritualium narratio-*

tionum D E I, *adeoque censet S. Pater* Scripturas ob suas reconditas obscuritates indigere interprete, qualis est non unus, privatus quispiam sed tot Spirituales Viri, sanctique Patres in Ecclesia.

clusæ à spiritualibus Viris invenienda.

Denique manifestè id confirmat Tomo. 2. in Matth. c. 7. homil. 18. ubi in legenda & intelligenda Scriptura hortatur ut *interrogentur Sacerdotes. Adhuc ait, quærite interrogantes Sacerdotes, ceterosque habentes scientiam Spiritualium Scripturarum: sicut præcepit Lex: interroga Patrem tuum & dicet tibi, seniores tuos & annuntiabunt tibi* Deut. 32. Vide plura in D. Chrysost. à Luteranismo à me vindicato Contra. 1. & 2.

De rebus fidei sacerdotes interrogandi.

Quid S. Hieronymus? neque hic ab horum SS. PPm. sensu & sententia dissidet: Nam & is plurimis locis docet S. Scripturam juxta eum sensum interpretandam esse, quem in communi Doctorum consensu tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia. Hinc talem interpretationem vocat *Ecclesiarum traditiones* Epist. 27. ad Eustoch. c. 12. *Ecclesiasticum sensum* Lib. 1. adversus Ruff. c. 2. *Ecclesiarum Christi judicium* L. 2. adv. Ruff. c. 9. *Huic sensui magis acquiescit Ecclesia* Epist. 157. ad Minervam &c. Energicum est id quod de se ait. *Meum est propositum antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere.* Ibid. in fine. *Vocat etiam Ecclesiasticam explanationem* L. 11. Comment. in cap. 38. Ezech. Vocat item *viam Regiam.* Comment. L. 3. in Cap. 8. Amos. Et in fine Cap. 38. Ezech. *Nobis quoque ait, incumbit necessitas juxta* 70. *Interpretes dicere, quæ nostri dixêre majores.* L. 2. Comm. in c. 6. Zachar. *Intellectus Ecclesiæ Catholicæ sectandus* L. 2. comm. in 4. ad Galatas. *Doctrinarum ex Scriptura Verba, non autoritate unius, sed consilio, atque consensu Magistrorum omnium præferantur.* Comm. in C. 12. Ecclesiastis, *quod non est Ecclesiasticæ interpretationis* (Scripturæ) *à prudentibus Viris non recipiendum* Lib. 3. Comm. in Cap. 18. Matth. Denique Comm. in Ps. 37. *Prophetam, ait, omnem ordinem hujus Psalmi ex peccatoris Sententia prosecutum fuisse, Anteriores nostri docuerunt.* Plura qui volet hujus S. Doctoris in hanc rem testimonia videre, perlustret Confessionem Hieronymianam Autore Cornelio Schultingio Steinwichio.

S. Hieronymus Scripturæ Interpretationem è mente Ecclesiæ in communi consensu Doctorum vocat. Ecclesiarum traditiones. Ecclesiasticum sensum. Ecclesiarum Christi Judicium. Ecclesiasticam explanationem. Viam Regiam. Unius autoritati consensus Magistrorum præferendus.

D. Gregor. M. idem luculenter confirmat pluribus locis. Vide Confessionem Gregorianam p. 106. Sed pro omnibus SS. Ecclesiæ Patribus loculentissimum testimonium præbet Vincentius Lirinensis toto sub Commentario adversùs prophanas hæresum nova-

Ex Vincentio Lirinensi idem confirmatur.

tiones. Cujus è ſenſu totius Antiquitatis ſententiam in compendium redegimus in 2. Parte Scrutinii. Aliqua ſolum hic attingam, quæ nim: ipſemet recapitulando in ante dicta ad finem Libri adfert Cap. 41. *Diximus*, inquit, *in ſuperioribus hanc fuiſſe ſemper, & eſſe hodieque Catholicorum conſuetudinem, ut fidem veram duobus his modis approbent. Primum Divini Canonis (id eſt S. Scripturæ) Autoritate. Deindè Eccleſiæ Catholicæ traditione.* Hujus verò ipſius dat rationem. *Nam*, inquit, *quia verba Divina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes Varias opiniones, erroreſque concipiunt, atque ideò neceſſe eſt ad unam Eccleſiaſtici ſenſus Regulam Scripturæ Cœleſtis intelligentia dirigatur, in iis duntaxat præcipuè, quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.* Quia porro poſſet quiſpiam de ipſamet Eccleſia addubitare, an, & quænam vera Catholica? ideò ſigna ex quibus cognoſci poſſit ſubjicit. *Item diximus*, inquit, *in ipſa rurſus Eccleſia Univerſitatis pariter & Antiquitatis conſenſionem ſpectari oportere, ne aut unitatis integritate in partem Schiſmatis abrumpamus, aut è vetuſtatis Religione in hæreſeon novitates præcipitemur.* Hanc rurſus ipſam Univerſitatis & Antiquitatis conſenſionem undè dignoſci debeat? deſcribit. *Item diximus*, ait, *in ipſa Eccleſiæ vetuſtate duo quædam vehementer ſtudioſeque obſervanda, quibus penitus inhærere deberent quicunque hæretici eſſe nolint: Primum ſi quid eſſet antiquitùs ab omnibus* Eccleſiæ *Catholicæ Sacerdotibus Univerſalis Concilii autoritate decretum. Deinde, ſi qua nova exurgeret quæſtio, ubi id minimè reperiretur, recurrendum ad Sanctorum Patrum Sententias eorum duntaxat qui ſuis quinque temporibus, & locis, in Unitate Communionis, & fidei permanentes, Magiſtri probabiles extitiſſent.* Et *quidquid uno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe invenirentur, id* Eccleſiæ *verum atque Catholicum abſque ullo ſcrupulo judicaretur.*

Conſuetudo Eccleſiæ duobus modis fidem veram approbare. 1. S. Scripturæ Canone. 2. Eccleſiæ Catholicæ traditione.

Eccleſia verò Catholica probanda Univerſitate, Antiquitate, Conſenſione.

In Eccleſiæ Catholicæ vetuſtate duo obſervanda.

1. Univerſalis Concilii autoritate decreta. 2. SS. Patrum ſententiæ.

Pergit porro ſequenti Capite recapitulare ex ſecundo Commentario, quod intercidit, quomodo in Concilio Epheſino SS. PP. ſententiæ congregatæ ſint, ut ſecundum eas autoritate Concilii Eccleſiaſticæ fidei regula figeretur.

Ex his igitur Doctorum & SS. PP. teſtimoniis ſat copioſis ſole clarius patet, quæ fuerit ſemper in Eccleſia Praxis & uſus ſcilicet in rebus dubiis circa ſenſum Scripturæ vel controverſiis ab hæreticis motis SS. PP. ſemper recurriſſe ad ſenſum, & conſenſum PP. qui eos ætate antecedebant, adeoque agnovere ſolam S. Scripturam

ram non esse regulantem & regulam, seu regulam activam, animatam, vivam, interpretem, Os DEI Magistramque atque Judicem fidei, sed potius Ecclesiam Catholicam in SS. Patribus, Conciliis, atque unanimi fidelium consensu.

Denique hoc ipsum patet, ex eo quia SS. PP. omnes docent verbum non scriptum in Ecclesia præter Verbum DEI scriptum seu Traditiones Apostolorum dari ex 2 Tim. 2. 2. It. 2. Tim. 1. 13. 2 Thessal. 2. 15. 1 Cor. 11. 2. August. de Bapt. cont. Donat. L. 2. c. 7. Sup. cit. & aliis plurimis locis Basil. Chrysost. Hieron. & ceteri Patres: quas ipsas infra fusius probabimus. Hæ autem traditiones non soli Scripturæ, sed Autoritati SS. Apostolorum & Successorum PP. infundantur. Porrò, frustra hoc Verbum *Traditio Ecclesiæ* Dissidentibus adeò est invisum, ut illud prorsus velint eliminatum & eliminatum. Etenim dum hoc nomine Traditionis utimur; intelligimus in recto ipsam Ecclesiam tradentem nobis hoc vel illud credendum vel agendum, id quod scilicet accepêre velut pretiosum despositum de manu in manum filii à Patribus hi à majoribus hi demum ab ipsis Apostolis, Apostoli ab ipso Christo D. Christus D. â Deo ut ait Tertull. sup. cit. & post ejus Ascensionem à Spiritu S. edocti Apostoli docuerunt Verbo non scripto, seu vivæ vocis oraculo, idem posteris credendum tenendumvè reliquerunt.

SS. PP. traditiones Apostolicas admittentes admittunt eo ipso Ecclesiam proponentem.

Unum adhuc hoc loco restat enucleandum. Dissidentes Neo-Evangelici plerique ut Autoritati Patrum derogent passim adstruunt eos fallibiles & errori subjectos fuisse, eò ipso quia homines fuêre: *omnis* enim *homo mendax* teste Psalmistâ, imò de facto aliqui errârunt, hinc & Augustinus suos, inquiunt, errores correxit Libris Retractationum. Igitur nemo tuto passu eorum autoritati insistere potest, adeoque tum primum audiendi erunt Patres quando cum Scriptura tanquam regula fidei ritè conveniunt, nec ab illa vel latum unguem recedunt. Verùm sciendum SS. PP. posse dupliciter quidpiam proponere exponendo S. Scripturam 1. è proprio privatoque sensu & opinione. 2. è sensu & consensu communi antiquitatis, & universitatis, adeoque Ecclesiæ traditione perpetua ab ipsis Apostolis ad illorum usque tempora decurrente. Priori modo facilè concesserim potuisse errare Patres, ac de facto errâsse probavimus Sup. Argumento VII. Augustinum, Cyprianum, Chiliastas idque innocenter; non sine noxa autem aut suspicione hæreseos Tertull. & Originem &c. Secundo autem modo nul-

Quo sensu SS. Patres Ecclesiæ sint falli biles.

nulla ratione errare potuêre, quin ita prout est explicatum proponentes aliquod dogma, explicantesque Scripturam sunt tuta ac firma regula credendorum atque agendorum. Etenim talia non ex se suoque privato Spiritu & sensu, sed quemadmodum à majoribus traditum accepêre per continuam consensionem & successionem usque ad tempora Apostolorum, qui in Ecclesia tanquam *in dives depositorium contulêre plenissimè omnia, quæ sunt veritatis*, ut inquit Sup. cit. Irenæus, atque ità SS. Patres sunt custodes & conservatores hujus depositi, testesque fideles Veritatis ab Apostolis acceptæ: ità ut dogmata illa à Patribus proposita non ideò sint vera, quia ab illis proponuntur quomodocunque, sed quia proponuntur tanquam non modò nata, sed vetusta, à Patribus illorum ætatem antecedentibus velut de manu in manum tradita, his autem veterioribus ab ipsis Apostolis credita, de quibus ipsi Apostoli à Christo D. & Spiritu S. edocti fuerant, atque sic tandem ad ultimum principium primamque omnium originem ac fontem devenitur, à quo incorruptus alveus Apostolicæ traditionis per omnia tempora perque successiones continuas Patrum & Doctorum usque ad nos derivatur. Hinc etiam fit ut verificetur id quod prophetavit David *pro Patribus nati sunt tibi filii* prout hunc locum fusiùs explanat S. Augustinus *quod didicerunt docuerunt, quod à Patribus acceperunt hoc filiis tradiderunt* Lib. 2. Cont. Julia. Pelag.

Omnis equidem homo mendax, tum ex corruptione naturæ per primum peccatum, tum quando scilicet quis suo propriò privato innititur sensui & judicio, contemnendo communem Majorum veritatem, & unanimem sensum Veritati consentaneum; secus si quis sese Universali & antiquitus recepto accommodet sensui. Quin vel ex eo videant Dissidentes an non sint è numero similium hominum mendacium, utpote derogantes autoritati SS. PP. è suo privato ac proprio sensu repugnante toti retroactæ antiquitati. Tum quoque audiendi Patres quando cum S. Script. tanquam regula fidei conveniunt: at si quid illo secundo modo proponant non possunt non cum Scriptura tanquam fidei regula convenire: neque enim tum Scripturam S. propria atque privatâ interpretatione explicare, sed *Spiritu S. inspiratos loqui Sanctos illos DEI* homines ut ait S. Petrus 2. 1. 20. censendum est; quia scilicet è sensu Universæ Ecclesiæ, cui assistit Spiritus S. eamque *docet omnem veritatem*. Ad extremum, quis amabo! hosce novos homines & nuper natos censores plùs quàm Catonicos constituit illorum SS.

Pa-

Patrum illis & ætate, & vitæ Sanctitate & scientia Sacrarum Literarum plurimis parasangis superiores? Magna certè præsumptio, ne dicam temeritas, est talium hominum in prætorium judicium vocare tales tantosque viros, quos Orthodoxa semper Ecclesia in summo honoris reposuit fastigio, ita ut in exponendis Sacris literis illud pro Divino oraculo habeat, quod è SS. Patrum sensu & consensu unanimi ac perpetuo promanavit, de quo plura adduximus ex Vincentio Lirinensi Scrutinii 2. Parte.

ARGUMENTUM XI.

A testimonio ipsorum Adversariorum.

TAm manifesta est hæc Veritas quam hic proponimus & tuemur, ut vel invitis Adversariis ejusdem confessionem extorserit. Videamus inprimis quid de illa sentiant Lutherani.

1. Lutherus eam suo suffragio confirmat dum agnoscit Ecclesiam esse *infallibilem*. De antiqua Ecclesia Tomo 7. fol. 562. Germ. *Ecclesia nec debet, nec potest mentiri, nec errores docere, nec in minimis quidem; cùm DEUS sit Os Ecclesiæ, & DEUS mentiri non possit, sic etiam Ecclesia nequit:* Hinc inferre licet, Ergo præter scripturam audienda est dum explicat Scripturam, dum quidpiam proponit credendum, vel agendum &c. 1. Lutherus.

Et in Epist. ad Marchion. Brand. Tomo 2. Germ. f. 243. *Periculosum & horrendum est quidquam vel audire vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei, & doctrinæ sanctæ, & Catholicæ* Ecclesiæ, *quam inde usque ab initio per annos mille quingentos servavit.* Et ad Cap. 5. Epist. ad Gal. edit. prima. *Vero veriùs est quòd Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, & multò plures Sanctitate polluerunt, qui aliis qui in Cœnobiis degerunt præferendi sunt. Enimverò Evangelium & fidem in Christum absque ulla hypocrisi purè & simpliciter tradiderunt, hæreticis restiterunt, & Ecclesiam ab innumeris erroribus expurgârunt.* Et contra Zwinglium & Oecolampadium, *si diutius steterit mundus iterum erit necessarium propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei veritatem ut Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Et in Declaratione Eucharistiæ. *Non dixi, neque consului, neque est intentio mea, ut unus, aut aliquot Episcopi propriâ autoritate incipiant alicui utramque speciem porrigere, nisi ita constitueretur aut mandaretur in Concilio*

Generali. His quidem testimoniis Lutherus se ipsum conficit quando aliàs ipse in Controverso Scripturæ sensu à Patribus, Conciliis, Universaque Ecclesia ad Scripturam tanquam unicam fidei regulam provocat: Nihilominus tamen eisdem Veritatem nostræ sententiæ sat superque comprobat.

2. Confessionis Augustanæ.

2. Eadem à Lutheranis probatur quando inprimis in Præfatione Confessionis Augustanæ ad Concilium Generale appellant, per Romanum Pontificem emissis literis publicandum & congregandum. Secundo quando initio ejusdem Confessionis, ajunt. *Ecclesias apud se magno consensu Decretum Nicenæ Synodi de Unitate essentiæ Divinæ, & de tribus personis admittere.* Item *nomine personæ eos uti ea significatione quâ usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem, aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.*

Atqui Nicena Synodus ex SS. Patribus & antiqua traditione Majorum definivit *Trinitatem personarum. Personæ* quoque *significationem* Scriptores Ecclesiastici non ex ipsa S. Scriptura; sed è sensu & consensu antiquorum Patrum hausêre. Ergo cum illis Lutherani si sentiunt, sentiunt omnino præter Scripturam tanquam regulam dari distinctam ejusdem Interpretem Proponentem Veritates fidei nim: Ecclesiam Catholicam.

3. Kemnitii Qui nomine Lutheranorum admittit Traditiones Ecclesiæ.

3. Traditiones Ecclesiasticæ supponunt Autoritatem easdem Proponentis Ecclesiæ præter Scripturam. Jam autem Kemnitius nomine Lutheranorum certas agnoscit traditiones Exam. Trid. Sess. 4. in secundo genere Traditionum ubi ait hanc *Traditionem quâ nobis in manum dantur S. Scripturæ Libri, reverenter accipimus.* Et in 5. genere. *Affirmant Origenes & Augustinus Baptismum parvulorum esse Traditionem Apostolicam, hanc recepimus* Et in septimo genere. *Apostolos igitur ritus quosdam ordinâsse, & tradidisse* Ecclesiis *ex Scriptis eorum certò constat.* Et *verisimile est quosdam etiam alios externos Ritus, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.* Et inf. *Tales ritus meritò amamus & retinemus, quales sunt Confessio fidei, abrenuntiatio Sathanæ, & alii ritus in actione Baptismi.* Cum igitur Kemnitius has traditiones præter Verbum scriptum agnoscat: eo ipso agnoscit Proponentem illas Ecclesiam Catholicam.

4. Calvini.

4. Quæ verò sit ea de Veritate mens Calvinistarum loquatur unus pro omnibus Pater pro filiis Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 9. §. 8. *Has Nicenam, Constantinopolitanam, Chalcedonensem, Ephesinam,*

nam, & similes Synodos priscas, quæ confutandis erroribus habitæ sunt libenter amplectimur, reveremurque, ut Sacrosanctas quantum attinet ad fidei dogmata. Ibid. §. 13. *Libenter concedimus si quo de dogmate incidat disceptatio nullum esse nec certius, nec melius remedium, quàm si verorum Episcoporum Synodus conveniat, ubi controversum dogma excutiatur. Multò enim plus ponderis habebit ejusmodi definitio, in qua communiter Ecclesiarum Pastores invocato Christi Spiritu consenserint, quàm si seorsim quisque domi conceptam populo traderet, vel pauci homines eandem conficerent:* Item in Epist. ad Sadoletum Cardin. monet ipsum dicens, *statue tibi ante oculos Veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi aut Basilii ætate apud Græcos, Cypriani, Ambrosii, Augustini seculo apud Latinos, extitisse ipsorum monumenta fidem faciunt.*

Inter hos vero SS. PP. quantum D. Augustino tribuat legere est Lib. 3. Instit. C. 3. §. 10. *Ab Augustino*, ait, *sumant Lectores, si quid de sensu Antiquitatis habere volunt*, additque. *Pro omnibus Antiquis Doctoribus posse unum sufficere Augustinum.* Atqui quatuor illa præcitata Concilia, hi ipsi allegati SS. Patres ac præcipuè Augustinus, docent præter S. Scripturam tenenda esse ea quæ SS. Patres Veteres per Successionem robustissimam unanimi sensu & consensu tradiderunt filiis, quod à Patribus acceperunt est declaratum Sup. Ergo si Calvinus cum hisce Conciliis ac Patribus tenet, necesse est ut etiam cum illis teneat Ecclesiam esse infallibilem Proponentem magistram Veritates fidei.

5. Veritas nostræ sententiæ probari potest insuper particularibus opinionibus Variorum Neo-Evangelicorum Doctorum. Ut Theol. in Palatin. in admonit. Christiana de Libro Concord. C. 12. Parei in Irenico c. 5. ubi ajunt *ad tollendum Schisma veramque & solidam concordiam restituendam, id faciendum omnino esse, quod veteres fecere in tollendis Schismatibus.* Atqui in tollendis Schismatibus Ecclesia Catholica usurpabat Magistram autoritatem Proponentem veritates fidei. Igitur illa est unica Proponens easdem. Idem probat in sua Epanorthosi Eilbrachtus cap. ult. Annot. 2. Item in via Compend. C. ult. Videatur apud Jacobum Masenium Medit. Concord. par. 3. art. 5. §. 9.

5. Veritas nostra probatur etiam particularibus opinionibus Variorum Dissidentium DD. ut Theolog. Palatinorum Parei.

Idem sensere Dissidentes Theologi tam Lutherani quàm Calviniani, quicunque de Irenicis scripsere. Sic Heinricus Nicolaus Lutheranorum Theologus in suo Irenico censet, dum ait p. 19. *Quidquid solidò 300. annorum post Christum natum consensu Patrum*

Eorum qui de Irenicis scripsere. Heinricus Nicolaus Luther.

trum conſentienter ità docentium nititur, & ex eo demonſtrari poteſt, inter vera recipiatur. Atqui ex dictis ſupra conſtat conſenſu P. P. doceri Eccleſiam eſſe Proponentem, Interpretem, & Judicem veritatum fidei. Ergo.

Joannes Melletus Calvinianus.

Sic Joannes Melletus in Syndronio Irenico Calvinianus Miniſter, cùm aliàs, tum p. 129. n. 4. *Ac denique* ait *ne longum faciamus Arminianos ipſos communione noſtra indignos judicavimus autoritate Synodorum.* Atqui autoritas Synodorum legitimè congregatorum eſt autoritas ipſius Eccleſiæ, ergo hæc præter Scripturam habet autoritativam poteſtatem Proponentis Magiſtræ definientis, ſententiaſque ferentis Judicis.

Molinæus.

Petrus Molinæus quoque Calvinianus in Anatome Arminianiſmi in dedicatione p. 8. ad ſidera effert Ordines Generales Fœderatarum Provinciarum Belgii quòd *eorum Autoritate & prudenti Vigilantia tanta incendii flamma reſedit*, intelligit controverſias, Arminium inter & alios Calviniſtas Gommariſtas excitatas, & pag. 9. ait *facilè adhuc reliquias aliquas hujus morbi Sanandas dummodò* (inter alia) *nefas ſit deinceps* ἑτεροδιδασκαλεῖν *& vocare in dubium, quæ in ſacra veſtra Synodo ex DEI Verbo ſunt piè & prudenter conſtituta*: & paulò poſt, *Synodiſque ſua reddatur autoritas, uſque frequentior.* Hic igitur Synodis concedit autoritatem, at quam aliam niſi Magiſtralem, Judiciariam ac definitivam Eccleſiæ; in Synodis enim Eccleſia congregata repræſentatur. Igitur per illam Eccleſia eſt Proponens regulans, Interpres, Judexque veritatum fidei habens autoritativam poteſtatem.

6. Colloquio Malbrunenſi.

Anno D. 1564. in Germania ſeptem præcipui Miniſtri Calviniſtæ nempe Dillerus, Boquinus, Olevianus, Dathæus, Sorſinus, Ehemius, Eraſtus in Colloquio Malbrunenſi cum totidem Superioris Germaniæ Miniſtris Lutheranis, præſente Friderico Principe Palatino & Chriſtophoro Duce Wittenbergenſi magno conſenſu juraverunt ſeſe admiſſuros *Patres illos antiquos quingentorum annorum veluti Judices Arbitros* omnium, quæ inter ipſos ſunt de religione diſſidiorum, *eò quod* (ajunt ipſi) *ſic conſtituerunt pridem Melanchton & Bucerus in Colloquio Wormaciæ celebrato.* Extat hoc in Actis Colloquii Malbrunenſis Heidelbergæ A. C. 1566 editis pag. 24. & 25. Agnoverunt igitur & hi Eccleſiam in Synodo congregatam agere partes Proponentis & decidentis veritates fidei.

7. Synodis Dordrechtanæ.

Nota quoque eſt Orbi Chriſtiano Synodus Calviniana Dordrechta-

drechtana quæ utique instituta fuerat ad componendas Controversias Remonstrantium. In qua Remonstrantes, eo quod ad Verbum DEI conscientiamque suam à Synodo provocarent, per Ordines Generales Statuum condemnati sunt, non tantùm sub Ecclesiasticæ Censuræ, sed & Politicæ pœnæ interminatione Anno 1619. die 3. Jan. Sess. 46. Et quamvis contra Synodum iteratò exciperent tanquam heterodoxam, cui Legitimum controversiarum Judicium haud competeret, dicentes Sess. 57. *Synodicis se decretis morem gerere per conscientiam non posse, quòd ea quæ Divinæ voluntati contravenirent, præscriberet: nequaquam refragaturi iis quæ apud Conscientias suas rectæ rationi, & DEI Verbo consentanea esse judicarent.* Exceptio hæc & protestatio tamen nihil profuit, etsi ex primis Neo-Evangelicæ religionis principiis sumta. Verùm sibi Synodus absolutum judicium juxta, an contra Scripturam sentiret? Vendicavit; idque approbante Theologica facultate Genevense, Britannica, Palatina, Hassica, Embdana, Bremense &c. tum Ordinum Generalium, quâ freti à communione Synodi Demonstrantes exclusere, damnatis quos proposuerant suæ religionis articulis, tanquam Verbo DEI repugnantibus; frustra illis reclamantibus & negantibus illos Verbo Divino contrarios. Cum igitur hæc Synodus tantam sibi autoritatem arrogaverit, ut sese Judicem Arbitram fecerit Remonstrantium, qui tamen illi ex conscientiæ & Verbi DEI præscripto acquiescere haud posse arbitrabantur: Consequens igitur est multò magis Ecclesiam Universalem ejusque Concilia & PP. vera reapse autoritativa Magistra potestate pollere, adeoque Ecclesiæ esse proponere veritates fidei.

Hujus ipsius testis est Carentonensis Synodus habita 1644. ut testatur Jacobus Benignus Bossuetus in expositione doctr. Catholicæ C. 20. cùm enim ii qui dicuntur Independentes palam professi essent, *Unicuique fidelium ex propriæ conscientiæ præscripto vivendum, nec esse cur Judicium privatum ullius Ordinis aut Collegii vel Ecclesiastici Conventus, aut Synodi Autoritati subjiciat*: cùmque his insistentes placitis Synodi se submittere recusarent, hanc doctrinam dicta Synodus damnavit iisdem planè rationibus, quibus & nos Catholici eandem repudiamus. Talis enim sententia contra illam lata; nimirum *esse hanc Sectam tàm Reipub. quàm Ecclesiæ perniciosam, absurdis quibusque insanisque commentis viam aperire; omnes iis medendis rationes tollere. Ac si illi sententiæ locus esset, posse tot religiones fingi, quot Parœciæ privatique Con-*

Carentonensi.

ventus forent. Quâ sententiâ eo ipso statuunt contra Independentes, singulas Ecclesias, multoque magis singulos homines privatos à superiori aliqua autoritate, quæ penes Conventum aliquem Collegiumve sit, in rebus fidei pendere, cui Autoritati judicium proprium omnes subjiciant.

Iidem Calviniani suæ disciplinæ Tit. de Consistoriis Cap. 5. art. 31. cùm præscribunt rationem finiendarum controversiarum de aliquo seu doctrinæ, seu disciplinæ capite, statuunt 1. *Conaturum Consistorium omnia ex Verbo DEI placidè, ac sine strepitu componere. Deinde positis Consistorio, Colloquio, Synodo Provinciali*, veluti totidem Jurisdictionis gradibus cum denique ad *Nationalem Synodum* devenêre *supra quam nulla apud eos potestas sit*, de ea hæc dicunt. *Hic integra fiet & ultima per Verbum DEI totius quæstionis decisio, cui si renuant omninò acquiescere, erroresque disertè abjicere, ab Ecclesia abscindentur*. En & hic Synodo attribuunt supremam potestatem ex Verbo DEI decidendi quæstiones: concedunt ergo præter Scripturam tanquam Regulam distinctum Interpretem, Regulantem & Judicem, atque adeò Proponentem penes quem sit decisio quæstionum.

Nationali.

Idem constat ex Formula Literarum quæ à Synodo Victoriacensi Anno 1617. conscripta est Provinciis usurpanda. Confirmatur denique ex Synodo Nationali eorundem habita ad S. Fidis Anno 1578. quæ fusiùs videre est apud præcitatum Doctorem Bossuetum, ad quem Lectorem brevitatis causâ remitto.

Verùm nemo Dissidentium dicta hactenus luculentiùs & verius comprobavit atque Christianus Dreyerus Doctor Regiomontanus (quanquam in Catalogo Dissidentium non esset ponendus qui magis ad Castra Catholica accedit quàm ad Dissidentium) Vir à me singulari elogio honoratus secunda Parte Scrutinii. Cujus testimonium fusius ex Libro de Orthodoxia allegatum videre potest Lector ibidem.

Ex hactenus igitur dictis patere potest cuique cordato Lectori, quænam sit mens doctiorum inter Dissidentes Adversarios: Nimirum Controversias fidei non posse solo Verbo Dei componi, sed præter illud debere dari distinctum quempiam, qui agat partes Interpretis, explicantisve Magistri illius, adeoque Proponentis ex illo Veritates fidei; quæ est ipse Ecclesia.

Hinc propius ad Viam Regiam Veritatis fidei orthodoxæ demonstrandam accedendo: sit

Ma-

MANUDUCTIO III.

Quænam ſit illa Eccleſia Proponens Veritates Fidei à Deo revelatas, fidelibus credendas per modum Regulæ activæ infallibilis Autoritatis.

ANtequam Proponentem Veritatis Fidei Eccleſiam in medium adducamus, neceſſe eſt priùs aliqua præmittere ad meliorem intelligentiam terminorum quibus hac in manuductione utimur.

Præmitto 1. Quid ſit *Regula* ſeu *Norma Fidei?* Hæc nihil aliud eſt, quàm quædam *Maxima* ſeu *Principium*, quo veritates fidei regulantur, ex quo Concluſiones ſeu articuli fidei deducuntur. Dicitur etiam *Ratio formalis*, propter quam intellectus noſter aſſenſum præbet objecto materiali ſeu veritati fidei. Item *Medium* ſeu *Argumentum*, quo aliqua veritas fidei probatur. Dici etiam poteſt *Principium & Reſolutorium fidei*, quia in illam fides reſolvitur. Quod enim eſt in artibus *regula*, *norma*, *amuſſis*, *vel linea.* Item in Scientiis *Principia ſcientifica.* Item in Jure *leges*; hoc in fide eſt *Regula & Norma fidei:* de quo fuſius egimus in Scrut. Ver. §. 2. Quid ſit Regula ſeu Norma fidei.

Præmitto 2. Regula ſeu Norma fidei duplex cogitari poteſt. *Activa* & *Paſſiva*, illa quæ applicat hanc, hæc quæ applicatur ab illa ad veritates fidei. Illa etiam dici poteſt: *Regulans*, *Normans*, *applicans*, hæc autem ſimpliciter Regula quâ regulans regulatur, quamve applicat ad regulata. Etenim ut diximus Scrut. Verit. loco cit., hæc tria *Regula*, *regulans*, *regulatum*, ſunt correlativa, nec unum ſine alio, ullo modo eſſe nec concipi poteſt, unum enim aliud infert ac ſupponit, quæ natura eſt correlativorum, ſi enim datur regulatum, ſeu res juxta regulam facta, ergo debet dari & regula, & regulans, neque enim ſe regula ipſam applicat ad rem regulandam, ſed ab alio diſtincto applicari debet. Id quod à pari de artibus ſcientiis, ac jure judiciiſque ib. loco cit. declaravimus. Illa item Regula Activa dici poteſt *Regula ut Quod. Paſſiva Regula ut Quo.* Illa enim eſt quod regulat ſeu applicat regulam paſſivam ad regulatum, hæc eſt id; quo à Regula activa regulatur. Poteſt inſuper Regula hæc dici *medium* quo probatur Veritas fidei: ſicut enim apud Philoſophos ad probandum aliquid, hoc eſt ad oſtendendum, quòd hoc prædicatum huic ſubjecto conveniat, Regula fidei duplex Activa & Paſſiva.

niat, utimur medio seu ratione formali, quâ id probemus, ità in præsenti. Sic v. g. si velim probare, quòd huic subjecto *Petrus* conveniat hoc prædicatum *homo*, necesse est ut utrique medium conveniens adinveniam, quo id probem, & hoc est v. g. *animal rationale.* Hinc sic argumentor: Omne animal rationale est homo. Ita pariter in rebus ad Fidem spectantibus ad probandum quòd v. g. huic subjecto: *Verbum æternum Filium Dei esse incarnatum*, hoc prædicatum, nim. *Est à Deo verè revelatum* adeoque *credendum* conveniat, sic probari potest per dictam Regulam activam tanquam per medium. *Omne quod Ecclesia Catholica proponit esse revelatum à Deo, adeoque credendum, est reverà revelatum à Deo, adeoque credendum. Atqui Verbum æternum Filium Dei esse incarnatum Ecclesia Catholica proponit esse revelatum à Deo, adeoque credendum. Ergo Verbum Æternum Filium Patris esse incarnatum, verè est revelatum à DEO, adeoque credendum.* Vides hic medium probandi, quod prædicatum conveniat subjecto esse proponentem Regulam activam Ecclesiam.

Regula activa, regulans, seu proponens, dici etiam potest: Interpres mentis Divinæ, Os & Oraculum Dei.

Præmitto 3. Regulam activam regulantem, seu proponentem etiam dici posse *Interpretem* sensus mentisque Divinæ, quâ aliquid Deus revelavit. v. g. in Verbo suo scripto adeoque dici posse *Os & Oraculum Dei*, quia scilicet nomine ipsius DEI nobis loquitur ac proponit ea quæ sunt de fide Divina. Dici quoque potest. *Judex veritatum fidei*, quia ad eundem spectat discernere, quidnam sit revelatum à Deo, quid non? adeoque quid credendum? quid non credendum? Unde etiam Vices Dei quodammodo gerit, immediatè fidelibus id proponendo revelatum, adeoque credendum, quod Deus mediatè per illam vult nobis manifestatum, revelatum, adeoque à fidelibus creditum. Hinc jam

Præmitto 4. Dictam Regulam activam, Proponentem, Interpretem, Os & Oraculum Dei Judicemque veritatum fidei & controversiarum circa illas debere esse, uti supra dictum autoritatis infallibilis, talis scl. ne falli possit, nec fallere in eo quod Deus revelavit, vultque credendum à nobis. Unde etiam dicimus, quod Vicariam Dei autoritatem habeat, sitque hæc autoritas non purè Divina, nec purè humana, sed DEO- humana de quo in Scrut. Ver. Par. 2. His præmissis quænam sit illa Ecclesia proponens veritates Fidei à DEO revelatas per modum Regulæ infallibilis autoritatis sequentibus absolvemus Propositionibus, quibus Regia via perscrutandi veritates fidei pandetur.

PRO-

PROPOSITIO I.

Illa Ecclesia quæ Veritates fidei docet ac proponit Primo Revelatas in Verbo Dei scripto, est Ecclesia Proponens easdem per modum Regulæ activæ infallibilis Autoritatis.

HAnc propositionem esse verissimam ipsi Adversarii haud infi- ciabuntur, siquidem Verbum Dei scriptum universim fidei Regulam statuunt, adeoque non eget ulteriore probatione, cùm ab utraque parte admittatur. Dixi porro quòd Ecclesia Proponens veritates fidei revelatas 1. in Verbo Dei scripto statuat fidelibus credendas. Cum enim Ecclesia intendat id solum proponere credendum, quod est revelatum à Deo, illud ipsum aliquo medio seu argumento probare debet, ut illius credatur propositioni. Jam autem medium seu argumentum probandi id nullum habet digniùs & principalius, quàm ipsum Verbum DEI scriptum, illud propterea tanquam pretiosum depositum, sacrosanctè semper custodivit, conservavit, & in summo honore habuit, ex illoque semper omnes veritates seu articulos fidei comprobavit. Quia verò Verbum Dei scriptum, non ubique est ita clarum & perspicuum, ut ex illo disertis verbis veritates fidei deducantur. Et insuper propter aliquorum hominum, seu innocentem, seu nocentem malitiam & temeritatem (qua *pro voluntatis suæ sensu ut ait* supra Cit. Hilar. ad Cœlestium *Verborum simplicitas non pro veritatis absolutione suscipiebatur aliter interpretantium quàm dictorum veritas postularet*) reddebantur veritates fidei dubiæ. Hinc Ecclesia Proponens debebat præter hoc medium & argumentum, seu ut ita loquar præter hanc viam probandi aliquam veritatem fidei revelatam à Deo assumere aliud argumentum & viam ad convincendam similium hominum temeritatem, & hæc sequentibus Propositionibus explicabimus.

Ecclesia, quæ veritates fidei docet & proponit 1. revelatas in Verbo Dei scripto, est verè Ecclesia Proponens, de quâ hic.

PROPOSITIO II.

Illa Ecclesia, quæ Veritates fidei docet ac proponit revelatas secundo in Verbo DEI non scripto tantum sed etiam ab Apostolis & Ecclesia de manu in manum tradito, est Eccles. Proponens per modum Regulæ activæ infallibilis Autoritatis.

MEdium argumentum, principium, atque Regulam infallibilem quâ veritates fidei probantur ab Ecclesia esse Traditiones

Ecclesia quæ veritates fidei proponit secundo

etiam ex verbo Dei tradito, est verè Proponens. nes Apostolicas perpetuò observatas & retentas certum est ac indubitatum apud omnes Orthodoxos, idque.

Probatur ex S. Scriptura. Probatur 1. ex D. Paulo 2. ad Thess. 2. *Non retinetis quòd cùm adhuc essem apud vos hæc dicebam vobis.* Indicans id sufficere ad fidem sine scripto: & infra clarius: *Tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Item 1. Timot. ult. *Depositum custodi*, id est, Traditionem per sermonem non per Epistolam id enim ita ipse S. Paulus exponit 2 Tim. 1. 13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & dilectione, & depositum custodi.* Item 1 Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, prius enim, non scripto sed verbo tradiderat, & ib. subdit. *Cætera cùm venero disponam.* Item 1 Cor. 4. 17. *Sicut doceo & tradidi in Ecclesiis.*

2. ex SS. Patribus. Probatur 2. ex SS. Patribus, qui manifestè testantur Traditiones Apostolicas dari, easque tenendas. Unde sic argumentari licet. Ecclesia quam SS. Patres docent Traditiones Apostolicas tenere, & juxta illas controversas veritates decernere & fidelibus credendas proponere, est verè Ecclesia proponens Veritates fidei per modum Regulæ activæ infallibilis autoritatis. Atque Ecclesiam Catholicam traditiones Apostolicas tenere, & juxta illas controversas veritates decernere, & fidelibus credendas proponere, SS. Patres docent. Ergo Ecclesia Catholica est verè Ecclesia proponens veritates fidei. Vel sic: Id quod SS. Patres docent esse medium seu argumentum probandi veritates fidei ab Ecclesia semper usurpatum, est verè ac de facto tale medium. Atqui Traditiones esse tale medium docent SS. Patres. Ergo verè ac de facto

Dionysio Areop. est tale. Dionys. Areop. L. de Eccl. Hierar. c. 1. Traditionum Apostolicarum oculatus auritusque testis: *Primi* inquit, *illi nostri Sacerdotalis muneris duces* (i. è. Apostoli) *in iis quæ nobis sunt familiaria, summa illa & supersubstantialia* (i. è. pertinentia ad salutem) *partim scriptis partim non scriptis institutionibus, juxta quod sacræ definiunt leges, nobis tradiderunt.*

Eusebio. Eusebius Lib. 3. Eccl. Hist. c. 30. de suppare Dionysio ætate: *Ignatius*, ait, *cum iter per Asiam faceret, Ecclesias piis exhortationibus confirmavit, ac primùm ut Hæreses, quæ jam tunc primum nasci & emergere cœperunt, maximè præcaverent, sedulò admonuit. Deinde adhortatus est, ut Apostolorum Traditioni mordicùs adhærescerent, quam quidem asseveranter testificatus, quo tutiùs reservaretur necessario scriptis mandandam existimavit.*

Ire-

Irenæus Lib. 3. C. 2. clarissimè loquitur de *Traditione*, *quæ est ab Apostolis & per successiones Episcoporum in Ecclesiis custoditur*, & quod hæreticorum sit *Traditioni non consentire*. & C. 4. apertè ait, quod in quæstionibus fidei, *ad antiquissimas recurrere oporteat Ecclesias: cui ordinationi*, ait, *assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt sinè charactere, vel atramento scriptam habentes per Spiritum S. in cordibus salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes.* Unde etiam ait, *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè contulerint omnia quæ sunt veritatis.* Quare concludit, *Oportet quæ sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.* Irenæo.

D. Basilius Lib. de Spiritu S. C. 27. id etiam apertè confirmat: *Dogmata quæ in Ecclesia servantur & prædicantur, quædam habemus à doctrina scripto prodita, quædam rursum ex Apostolorum Traditione in mysterio, i. è. in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Neque in his quisquam contradicit, quisque sanè vel tenuiter expertus est quid sint Jura Ecclesiastica.* Basilio.

Epiphanius hæref. 55. *Termini*, ait, *nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scripturæ Sanctæ* ubi traditiones contradistinguit à Scripturis S. Epiphanio.

Clemens Alex. Lib. 1 Strom. etiam de utroque hoc principio fidei testatur Item Lib. 7. ubi ait *traditionem esse quoddam depositum.* de quo S. Paulus testatur 2 Tim. 1. 14. Clemente Alex:

Epiph. Hær. 61. contra Apostolicos. *Oportet autem traditione uti*, scl. veluti altero fidei principio & argumento, id quod ibid. probat ex D. Paulo 1 Cor. 11. 2. 1 Cor. 4. 17. Epiphanio.

D. Chrysost. in 2 ad Thess. 2. hom. 4. *Perspicuum est quod non omnia* (scl. Apost.) *per Epistolam tradiderunt; sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna. Quapropter Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio nihil quæras amplius.* Idem confirmat in 2 Tim. 1. hom. 3. de quo pluribus in meo Chrysostomo à Lutheranismo vindicato. Cyprianus Epist. 74. ait: *Si ad Divinæ traditionis originem & caput revertamur cessat error humanus.* Chrysostomo.

Quid dicam de SS. Patribus, qui posteriores hisce vixerunt. D. certe Ambrosius, Augustinus, Hieronymus tam manifestè testantur Aliisque SS. PP.

de

de Traditionibus Apoſtolicis, ut ſupervacaneum ducam eorum teſtimonia in longum hic recenſere. Videantur illorum Confeſſiones à me ſæpius hoc & aliis opuſculis citatæ. Legatur & Vinc: Lirin: cit: à me Scrut: Ver: Par. 2.

Probatur 3. Conciliis.

Probatur 3. Quia quod Concilia Oecumenica docent, docet Eccleſia Catholica: hæc enim ut infra dicemus ſunt Eccleſia Catholica repræſentativè. Atque Concilia docent dari Traditiones, illiſque utuntur, tanquam medio & argumento, quo probent articulos fidei, qui in eiſdem definiti & propoſiti ſunt fidelibus credendi contra hæreticos. Ergo dantur Traditiones ſuntque medium & argumentum quo Eccleſia Veritates fidei probat & proponit credendas fidelibus.

In Concilio Niceno celebratio Paſchæ ex traditione definita.

Minor probatur ex Hiſtoria Conciliorum. Euſebius lib. 5. c. 24. „ teſtatur, quod Concilium Nicenum condemnaverit errorem eo„ rum, qui volebant ut Paſcha celebraretur 14 Lunæ ſecundum „ conſuetudinem Judæorum. Certum autem eſt, quòd S. Scriptura „ nihil de hoc poſitivè dicat. Unde cùm aliquæ Eccleſiæ in Aſia vel„ lent ſervandam illam conſuetudinem prætendentes traditionem A„ poſtolicam relictam à S. Joanne. Omnes aliæ Orientis & Occi„ dentis Eccleſiæ contrarium defendebant contrariâ traditione. Conc. „ Nic. utriuſque partis traditione examinata condemnavit traditionem „ Eccleſiæ Aſiaticæ, approbavit aliarum omnium Eccleſiarum, eoſ„ que qui ſeſe pertinaciter opponebant huic definitioni pro hæreti„ cis habebat, dictique ſunt Quatuor-decimani. Theodor. Lib. 8. „ Hiſt. C. 8. refert quod primum Concilium Nicenum ex doctrina „ non ſcripta damnavit hæreſim Arii. Etſi enim quædam Scripturæ „ poterant adferri contra Arium, tamen quia Arius etiam profere„ bat Scripturas, quæ videbantur illius ſententiæ multum favere, „ uti illud: *Pater major me eſt*, ideo ex doctrina non ſcripta, ſed „ tradita per manus, ſcl. Patrum ſibi in Eccleſia ſuccedentium eam „ damnandam cenſuerunt. Unde etiam Athanaſius diſputando in illo Concilio contra Arium poſtquam conſubſtantialitatem Verbi Dei ex Scripturis demonſtravit, eandem probabat velut invincibili argumento Traditione, comprobando hanc *fidem à Patribus* ad Patres quaſi per manus traditam eſſe: Lib. de decretis cont. Syn. Arian.

In Conſtantinopolitano V. traditionis uſus.

In Synodo 5 Conſtantinopolitana Act. 10. eodem argumento Traditionis uſi ſunt Patres Concilii. Nicenum quoque II. Act. 6. Tom. 4. *Quod autem*, inquit, *cùm multis aliis, quæ in Eccleſia ob-*

Niceno II. Veneratio Imaginum traditione firmata.

observantur sine scriptura nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus latè per historias traditum est. Et Act. 7. in fine: *Si quis traditionem Ecclesiæ sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Idem reperitur in Concilio 8. Gener. act. 8. & post actum ultimum Can. 1. profitentur Patres se *servaturos omnes traditiones, non solùm Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas.* Insuper in Generali Conc. Chalcedon. Act. 1. contra Eutychen negantem duas naturas in Christo & dicentem. *Ego à S. Scripturis non didici de duabus naturis;* cui respondet Mamas Presbyter. *Neque de ὁμουσίῳ ex S. Script. docti sumus.* Quam responsionem Concilium non respuit, quin approbavit. Ergo apparet, quòd ut ὁμούσιος seu consubstantialitas Christi cum Patre in Conc. Niceno ex Verbo DEI non scripto est stabilita, ita in hoc Concil. duæ Naturæ in Christo.

Chalcedonensi homousios ex traditione.

Idem comprobatur ex eo, quia Donatistæ volebant rebaptizari eos, qui baptizati essent extra illorum Ecclesiam, comdemnata est hæc hæresis à tota Ecclesia: non ex S. Script. quia hæc nihil decisivum contra hoc punctum habet: sed Traditio Apostolica erat quædam Regula Concilio seu Niceno, seu Arelatensi 1. definiendi non esse rebaptizandos hæreticos, eò quòd ita à temporibus Apostolorum Ecclesia tenuit, primusque hujus innovationis autor repertus est Agrippinus Carthaginensis, de quo testatur D. August. Lib. 1. de Bapt. cont. Donat. C. 7. & 18. *Donec, ait, plenario Concilio totius orbis, quod saluberrimè sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur.*

Hæreticos non rebaptizandos docentes Donatistæ traditione confutati.

Probatur 4. Ecclesia quæ de facto fidelibus proposuit multas veritates fidei & Ceremonias non ex verbo DEI scripto, sed tradito, est Ecclesia Proponens per modum Regulæ infallibilis autoritatis veritates fidei ex verbo Dei tradito. Atqui Ecclesia Catholica de facto proposuit multas veritates fidei & Ceremonias non ex Verbo Dei scripto sed tradito. Ergo. Major est certa. Etenim ab actu valet consequentia ad potentiam: Si Ecclesia actu veritates fidei proposuit ex Verbo tradito. Ergo indubiè habuit potentiam proponendi, apparetque eam fuisse in possessione hujus propositionis, etiam ex Verbo DEI tradito. Minor etiam patet ex supra dictis Manud. 2. Argumento VI. ubi ostendimus plures Articulos fidei & Ceremonias autoritate solius Ecclesiæ constitutas & propositas fidelibus credendas & tenendas, adeoque non ex Verbo DEI scripto sed tradito.

Probatur 4. Quia Ecclesia de factò multas Veritates & Ceremonias ex Verbo Dei tradito proposuit.

Probatur 5. exemplo Ecclesiæ Christi. primitivæ.

Probatur 5. id ex eo, quia Ecclesia Christiana primitiva post Ascensionem Christi in Apostolis & Discipulis Christi & Apostolorum, proposuit veritates fidei, fidelibus credendas, & non ex Verbo Dei scripto; quia nondum tum exstabat: primus enim Matthæus annis circiter octo ab Ascensione Domini conscripsit Evangelium, quem cæteri secuti conscripsere alia tria Evangelia, neque statim Petri, neque Pauli, neque cæterorum Apostolorum Epistolæ atque Acta exstabant: pluribus insuper annis interjectis, postremò Apocalypsis S. Joannis in lucem prodiit. Eo itaque tempore; quo vel nec dum simpliciter, vel non integra exstabat Scriptura Novi Testamenti, proponebantur ab Ecclesia veritates Fidei: atqui non ex verbo scripto; quia, ut dictum necdum exstabat. Ergo ex Verbo Dei tradito. Ergo tum Ecclesiæ Proponenti veritates Fidei, Traditio fuit medium & Regula certa, atque infallibilis fidei. Ergo & nunc eadem est talis. Cùm etiamnum iidem articuli & Veritates fidei teneantur, qui tunc traditione habebantur.

Neque valet si dicas: Dato hoc quòd Traditio Ecclesiæ fuerit Regula & medium proponendi veritates Fidei, illis primis Ecclesiæ temporibus, non inde sequitur, debere eandem esse regulam etiam nunc. Dispar enim est ratio. Etenim tunc nondum exstabat Verbum Dei scriptum ut supponitur; nunc autem jam exstat. Contra enim est. Etiamsi enim nunc jam exstet Verbum Dei scriptum: quia tamen multa nobis claris & disertis verbis non explicat: multa item Hæretici Scripturæ loca in suum sensum trahentes & depravantes, novos Articulos & dogmata fidei statuunt, contraria antiquo & Communi Ecclesiæ sensui. Igitur necesse habet Ecclesia recurrere ad hoc alterum præter Verbum Dei scriptum medium, & Regulam fidei, videlicet Verbum Dei traditum.

Deinde ipsum Verbum Dei scriptum esse Canonicum seu verè Verbum Dei. Item hos & hoc numero Libros esse Canonicos, ejusdemque sensum esse hunc & non alium verum habetur non ex ipso Verbo DEI scripto, sed ab Ecclesia tradente id nobis, ut supra probavimus. Manud. 2. Argum. IV. Etsi igitur nunc habeamus Verbum DEI scriptum habemus nihilominus & traditum, quo scil. Ecclesia tanquam medio & argumento utitur ad probandas, non solum alias veritates, sed etiam hanc ipsam quod Scriptura sit verè Verbum Dei.

Probatur 6. à pari

Probatur 6. à pari de Ecclesia naturæ & Scripta. Id quod Ecclesia

clesiæ in Lege Naturæ, imò & in lege scripta fuit medium, Regula seu Argumentum, adeoque probatio Revelationis Divinæ, id etiam in Lege gratiæ est tale. Etenim ut S. Augustinus tum alias, tum Tomo 8. Psal. 90. Con. 2. & Ps. 56. prope init. & alii SS. Patres adverterunt eadem est Ecclesia in Lege Naturæ, scripta, & gratiæ, quoad substantiam; etsi diversa sit quoad modum & statum. Atqui in Lege Naturæ & scripta præsertim antequam totum Veteris Scripturæ corpus conflaretur, medium seu Argumentum, ac regula credendi non fuit Verbum Dei scriptum, sed solùm à Patribus filiis adeòque ab Ecclesia traditum de quo supra Man. 1. Prop. 8. Ass. 1. Ergo & in nova Lege gratiæ similiter idem erit medium, argumentum, seu regula credendi. de Ecclesia Naturæ & scripta.

Probatur denique Quia Ecclesia fidelibus id solùm intendit proponere credendum, quod Deus veritas prima dixit seu revelavit, quia illud solùm fide Divina credendum est. Hunc enim finem unicum Ecclesia habet in proponendis veritatibus, ut eas fideles credant *corde ad justitiam, & ore confiteantur ad salutem*, ut ait Apost. Ergo debet habere & medium quo id probet, quòd hoc v. g. vel illud DEUS veritas prima dixit seu revelavit credendum omnibus fidelibus, neque enim prudenter & rationabiliter intendere potest finem, sine electione mediorum fini congruentium. Et hoc quidem medium est imprimis S. Scriptura: Sed quia ut dictum est, non omnes veritates claris & disertis verbis exponit, & quia eandem diversimodè hæretici explicant, & applicant ad sua dogmata, & denique quod ipsamet sit verè Verbum Dei ab illamet ipsa Ecclesia teste & custode fideli hujus depositi constat. Igitur aliud præter S. Scripturam medium sibi à Deo provisum debet habere, quo probet hanc veritatem, vel illam esse verè à Deo dictam seu revelatam. Atqui hoc non est aliud prius & immediatius quàm Verbum Dei traditum. Tum quia prius est Conciliis & S. Srum Patrum doctrinâ. Tum quia Verbum ut sic non habet alia divisionis membra, quàm hæc videlicet Verbum scripto expressum, & Verbum ore prolatum. Ergo & Verbum Dei dividi debet in Verbum Dei scripto expressum, & Verbum Dei non scripto sed ore traditum. Igitur si non omnes veritates fidei Verbo scripto sunt expressæ, necesse est omninò ut sint Verbo non scripto traditæ atque adeò à primo ad ultimum. Illa Ecclesia est proponens per modum Regulæ activæ infallibilis authoritatis veritates fidei quæ illas proponit revelatas præter DEI Verbum scriptum, etiam in Verbo DEI tradito. Probatur 7. ex fine quem Ecclesia habet in proponendis veritatibus fidei.

PROPOSITIO III.

Illa Ecclesia quæ veritates Fidei tenet ac docet revelatas in Concilio plenario seu generali legitimè congregato, est Proponens easdem per modum Principii, seu Regulæ activæ infallibilis autoritatis.

In dubiis Quæstionibus Ecclesia semper ad Concilia recurrit.

CErtum est quòd in Ecclesia obortis dubiis aliquibus quæstionibus & controversiis inter fideles, ad easdem terminandas, atque ad confutandos hæreticos, Ecclesia recurrerit semper ad Concilia, primum quidem particularia seu provincialia, tum & generalia Oecumenica seu ut ea D. August. vocat plenaria. In his Ecclesia conveniebat, seu congregabatur, non quidem secundùm totam suam, qua longè lateque per universum orbem patet amplitudinem, seu universalitatem; sed secundùm suam principem ac præcipuam partem ac membra, hoc est, quod in iis primarii Ecclesiarum Episcopi, Pastores, Patres ac Doctores Sanctitate æque ac doctrinâ conspicui, legitimè in Spiritu S. nomine totius Ecclesiæ conveniebant, atque ita universam Catholicam Ecclesiam repræsentabant, adeò ut quidquid hi in rebus controversis & dubiis tam fidei, quam morum definivissent ac decrevissent, id universa Ecclesia fixum, ratum, ac firmum haberet. Quisquis autem talibus Conciliis refragaretur pro hæretico semper declaratus.

Concilia fuere, & sunt Ecclesiæ medium seu argumentum probandi veritates fidei à DEO verè revelatas.

Unde Ecclesia vera apodicticum, medium, argumentum seu regulam probandi aliquam veritatem fidei verè à Deo revelatam esse, adeoque credendam omnibus fidelibus habuit semper præter Scripturam, & traditionem etiam Concilium generale, ita v. g. argumentando. Quidquid Ecclesia Catholica proponit in Concilio generali definitum, id est verè à Deo revelatum, & credendum omnibus fidelibus. Atqui hanc v. g. veritatem, quod Filius Dei est homousios seu consubstantialis Patri, Ecclesia proponit in Concilio generali Niceno 1 definitum contra Arium. Ergo est verè revelata, ac per consequens ab omnibus credenda. Atque quod inde sequitur, illa Ecclesia est Proponens per modum regulæ activæ infallibilis autoritatis veritates fidei, quæ illas proponit revelatas in Concilio generali. Minor est certissima & sola tantum Inductione Conciliorum particularium probanda, idque quod de Niceno hic dicitur, dici potest de Constantinop. Ephes. Chalc.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Major Probatur 1 ex ex Sacra Scriptura: I. Matt. 18. 20. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,*

ex quibus verbis fieri argumentationem à minori ad majus, scl. ad plures congregatos v. g. in Concilio, deducit optime Bellarm. ex antecedentibus: præmiserat enim ante D. *dic Ecclesiæ quòd si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*; tum adjungit, quanta sit potestas Ecclesiæ. *Amen dico vobis quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in Coelis*. Si igitur cum Congregatis in Concilio est in medio eorum; Ergo quidquid Ecclesia in tali Concilio definitum proponit, est verè revelatum à DEO, atque adeò credendum.

II. Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, id autem intelligi universim de succedanea Apostolos Ecclesia ante Cap. 14. apertè D. testatur *Spiritum Sanctum mansurum cum Apostolis in æternum*: id est cum eis & successoribus eorum perpetuò. Igitur idem Spiritus S. mansurus cum Ecclesia in Concilio congregata; igitur eandem docturus omnem veritatem: ac quod inde sequitur: quidquid Ecclesia in Concilio definitum proponit, est verè revelatum à DEO atque credendum:

III. Act. 15. Primum Concilium ab Apostolis & prima illa Ecclesia testatur confidenter dicens: *Visum est Spiritui S. & nobis*. Hinc ita argumentandum: Illi Concilio primo adfuit Spiritus S. quia id necesse erat, pro conservatione Ecclesiæ, pro tollendis dubiis quæstionibus, pro stabiliendis veritatibus fidei. At non minus aliis temporibus similibus exorientibus quæstionibus & hæresibus necessarium fuit, atque etiam erit. Igitur sicut in primo illo è mente Spiritus S. omnia sunt definita, ita & in posterioribus. Igitur quæcunque in talibus Conciliis definita proponit Ecclesia omnino à Deo revelata sunt & credenda.

Probatur 2 ex SS. Patribus, qui inprimis docent & affirmant, quòd Concilii generalis sententia in causa fidei sit ultimum Ecclesiæ judicium, quo omnes Ecclesiæ controversiæ de aliqua fidei veritate teminantur. Id quod pluribus testimoniis SS. Patrum probat Bellarminus. Nobis sufficiat August. Tom. 7. de Bapt. cont. Donat. L. 1. C. 7. *Quæstionis hujus obscuritas* (de non rebaptizandis hæreticis) *prioribus Ecclesiæ temporibus ante Schisma Donati, magnos viros & magnâ charitate præditos Patres, Episcopos, ita inter se compulit, salva pace disceptare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque Regionibus diversa statuta mutaverint, donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. Ibidem Lib. 7. C. 53. *No-*

Probatur 2. ex SS. Patribus.

bis tutum est in ea non progredi, aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere quod in Gubernatione D. DEI nostri & salvatoris J E S V Christi Vniversalis Ecclesiæ consensione roboratum est.

Deinde SS. Patres docent uti & Concilia, hæreticos esse, & ab Ecclesia separatos, qui non acquiescunt Conciliis plenariis. Idque probat Bellarm. T. 4. Omnia Concilia generalia anathema dicunt contradicentibus ut Anathasius testatur de Niceno Epist. ad Episcopos Africæ, & de aliis patet in actis illorum. Tum ex Gregorio Nazian. in Ep. ad Didonium, tum ex Leone Ep. 78. ad Leonem Augustum. Basilio Epist. 28. ubi docet suspectis de fide proponenda esse decreta Niceni Concilii, inde enim apparebit hæreticine sint an Catholici? S. August. insuper Tom. 9. de hæres. 69. Donatistas ex eo hæreticos confirmat, quòd contra universæ Ecclesiæ definitionem ad se venientes rebaptizent. Item Lib. 1. de Baptismo Cap. 18. Cyprianum ab hæresi excusat, quòd adhuc eo tempore non extiterit generale Concilium, quo definita fuisset quæstio de baptismo hæreticorum. Plura testimonia vide in Confess. Augustiniana.

Ad hæc docent SS. Patres divina & à Spiritu S. edita esse decreta legitimorum generalium Conciliorum. Ita Constantinus in Epist. ad Ecclesias apud Eusebium Lib. 3. de vita Constantini vocat *Coelestia mandata* Concil. Niceni decreta Athanas. in Epis. ad Episc. Africanos. *Verbum*, inquit, *domini per Oecumenicam Niceæ Synodum manet in æternum.* Idem pluribus confirmat Bellarm. de Conciliis.

Denique docent SS. Patres potius moriendum esse, quàm à decretis generalium Conciliorum recedendum. Ambr. Ep. 32. *Sequitur*, inquit, *Tractatum Concilii Niceni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Confirmat porro idem Bellarm. ex Victore Africano, Hieronymo &c.

Ex his igitur patet quis fuerit sensus SSrum Patrum de Conciliis Generalibus? nimirum non alius, quàm quòd quidquid Ecclesia proponit in Concilio generali definitum id verè revelatum sit â Deo & fide Divina credendum.

Probatur 3. Tum quia nihil certum aliàs

Probatur idem 3. Tum quia aliàs in Ecclesia nullum foret firmum judicium quo controversiæ componi, hæreses refutari ac damnari, unitas Ecclesiæ firmari posset. Tum quia aliàs possent meritò revocari

in

in dubium omnes damnatæ hæreſes. Sic enim diceret Arius erraſſe Nicenum Concil. Macedonius Conſtantinopolitanum. Neſtorius Epheſinum. Eutyches Chalcedonenſe. Denique nihil firmum, nihilque certum in Eccleſia haberetur.

foret in fide & omnes hæreſes damnatæ in Conciliis poſſent in dubium revocari.

Patet igitur ex hoc verum eſſe illam Majorem: Quidquid Eccleſia Catholica proponit in Concilio generali legitimo definitum, id eſſe verè à DEO revelatum, & omnibus fidelibus credendum, adeoque vera eſt & illa Propoſitio, quòd Illa Eccleſia eſt Proponens veritates fidei tanquam regula activa infallibilis autoritatis, quæ illas proponit in Concilio generali revelatas. Quia illa ſola hoc medio ſeu argumento utitur ad probandas veritates fidei, cæteræ Eccleſiæ heterodoxæ ſecùs.

PROPOSITIO IV.

Illa Eccleſia quæ Veritates fidei proponit IVè mente & Sententia SS. Eccleſiæ Patrum & Doctorum unanimiter conſpirante, eſt Eccleſia Proponens dictas Veritates per modum Regulæ activæ infallibilis Autoritatis.

MAgnam ſemper ac præcipuam autoritatem habuere SS. Patres & Doctores Eccleſiæ Chriſti apud fideles, adeò ut in dubiis fidei rebus ad eorum uniformem & conſpirantem ſenſum & ſententiam ſemper recurrerint, unde à S. Auguſtino *Lumina Civitatis DEI* appellantur Cont. Jul. Pelag. L. 1. Fuitque in Eccleſia ſemper medium, argumentum ſeu regula probandi aliquam veritatem fidei à Deo revelatam præter S. Scripturam, Traditiones & Concilia, etiam conſenſus ille admirandus non ſine Numine Divum in unum conſpirans primorum Eccleſiæ Patrum & Doctorum. Unde ſic v. g. argumentari licet. *Quidquid SS. Patres & Doctores Eccleſiæ unanimi ſenſu & conſenſu docent ac proponunt eſſe à DEO verè revelatum, id pro verè revelato à DEO habendum, adeoque credendum eſt ab omnibus Chriſti fidelibus. Atqui v. g. DEUM unum in eſſentia Trinum in Perſonis eſſe docent SS. Patres & Doctores Eccleſiæ unanimi ſenſu & conſenſu eſſe revelatum à Deo.* Ergo. Minor Probatur Inductione SSrum Patrum & Doctorum, quos citant Bellarminus, Coccius & alii. Major hic probanda erit, ex qua probata ſequitur, quòd *illa Eccleſia eſt verè Proponens veritates fidei à DEO revelatas per modum regulæ infallibilis autoritatis*, quæ illas (inter alia argumenta) etiam ex unani-

Magna in Eccleſia Autoritas SS. Patrum & Doctorum.

Quidquid Eccleſiæ Patres & Doctores unanimi conſenſu docent à Deo revelatum, omnino tale eſt & credendum fidelibus.

mi

mi consensu SSrum Patrum & Ecclesiæ Doctorum à DEO revelatas proponit. Itaque.

Probatur 1 ex S. Script.

Probatur 1 ex Sacra Scriptura illis Testimoniis quæ sup. Manud 1 Prop. VIII Assert. 1 adducta sunt. Ex quibus sic argumentari licet. Sacra Scriptura jubet fideles interrogare Patres, Majores, Seniores ac Sacerdotes, ut nimirum ab illis discant, quænam veritates sint à DEO verè revelatæ ait enim Deut. 32. per Moysen Spiritus Sanctus: *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, Majores tuos & dicent tibi*, nimirum quid sit à DEO revelatum? quid non? adeoque quid credendum? quid non? Ergo quidquid SS. Patres & Doctores Ecclesiæ unanimi sensu & consensu docent à DEO revelatum esse, id pro tali habendum credendumque est omnibus fidelibus. Ergo per consequens Ecclesia quæ præter Sacram Scripturam ex unanimi Patrum consensu aliquid à DEO revelatum proponit, est verè Ecclesia proponens veritates fidei à DEO revelatas per modum Regulæ infallibilis autoritatis.

Probatur 2 Autoritate Conciliorum.

Probatur 2. Autoritate Conciliorum. Quotquot fuerunt Oecumenica Concilia semper in definiendis stabiliendisque veritatibus fidei, convincendis hæreticis, eorumque erroribus refutandis, recurrebant ad unanimem consensum SSrum Patrum, tam eorum, qui eos vitâ præcesserunt, quam qui pro tunc vixêre, id quod declaratum est à nobis Manud. 2 arg. VII per prima 4 Oecumenica Concilia Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense & patet ex Historia Conciliorum.

Probatur 3 Autoritate ipsorum SS. Ecclesiæ Patrum & Doctorum.

Probatur 3. Autoritate ipsorum Sanctorum Patrum & Doctorum qui passim docent, quòd quæ unanimi consensu SS. Patres & Doctores Ecclesiæ proponunt à Deo revelata, omnino fidelibus credenda sunt. Quos longo ordine adduximus, Loc. cit. Arg. VIII. hic sufficit ex Augustino innuisse unum aut alterum testimonium. *Tales ac tanti*, inquit, *viri secundùm Catholicam fidem, quæ ubique toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera esse confirmant, ut fragilis & argutula vestra* (hæreticorum Pelagianorum) *novitas sola Patrum autoritate conteratur præterquam quod ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur.* Cont. Julian. Pelag. Lib. 2. Item *Tunc*, ait, *à nobis limes fidei sanæ defenditur, quando termini quos posuêre SS. Patres non transferuntur à nobis, imò observantur & defenduntur.* Hypog. lib. 3. De eisdem dicit: *Fides vera verèque Christiana atque Catholica sicut per Scripturas S. antiquitùs tradita sic à Patribus nostris usque ad hoc tempus, quo isti* (hæretici) *eam convel-*

convellere tentarunt, retenta atque ſervata & deinceps propitio DEO retinenda, atque ſervanda. Cont. Epiſt. Pelagii L. 4. C. 15. Plura qui volet de hac autoritate Patrum & Doctorum Eccleſiæ, legat ea quæ compendio in Confeſſione Auguſtiniana paginatim citantur, ut & ex Confeſſ. Hieronymianâ, Ambroſianâ, Gregorianâ.

Patet igitur ex his veritas illius Majoris, quòd *Quidquid SS. Patres & Doctores Eccleſiæ unanimi ſenſu & conſenſu docent, ac proponunt eſſe à DEO revelatum, id pro verè revelato habendum, atque credendum eſt ab omnibus Chriſti fidelibus;* adeoque SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ autoritas quoddam medium, argumentum, ſeu regula eſt probandi veritates fidei à DEO revelatas: ac per conſequens vera eſt noſtra Propoſitio, quòd, *Eccleſia, quæ veritates fidei proponit è mente & conſenſu SS. Eccleſiæ Patrum & Doctorum unanimiter conſpirante, ſit illa vera Catholica Eccleſia Proponens veritates fidei à* DEO *revelatas, tanquam Regula activa infallibilis autoritatis.*

Objectiones contra Autoritatem Patrum & Doctorum Eccleſiæ referuntur & refelluntur.

Objiciunt contra hanc SS. Patrum & Doctorum Eccleſiæ autoritatem Proteſtantes, communiter & ordinariè (quæ etiam Objectio ſupra attacta Manuductione 2 Argumento VIII) 1. quòd fuerint homines qui facilè errare potuerint, & aliqui defacto errarunt, ut Origenes, Tertull. &c. 2. Quòd in multis ſibi contradicant. 3. Quia S. Auguſt. ipſe docet, quòd *liceat nobis aliqua in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere.* Tom. 2. Ep. 3. ad Fortun. *Contra eoſdem quoque ſentire licitum eſſe, ait* ibid. Ep. 48. ad Vincen. 4. Tum ſolum SS. Patrum autoritatem admittendam quando cum S. Scriptura conveniunt.

Reſpondendum ad primum. Homines quidem fuiſſe, & errare potuiſſe atque defacto aliquos erraſſe non diffitemur, ſi ſigillatum quiſque ſpectetur, & contra communem Eccleſiæ ſenſum quidpiam doceat: ſecus ſi plures aut omnes ſimul ſpectentur: facilius eſt enim falli unum aut paucos, quàm multos aut omnes; ſic enim non eſt poſſibile, quin in eorum medio fuerit Chriſtus, utpote in nomine ejuſdem congregatorum, & ejus Spiritus S. inducens *eos in omnem veritatem.* Et ſi inſuper conformia communi Eccleſiæ doctrinæ à Majoribus acceptæ doceant errare haud poſſunt. Optimè ſanè ad propoſitum ait Vincent. Lirin. C. 23. *Magna profectò res & ad diſcendum utilis, & ad recolendum neceſſaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illuſtrare, atque inculcare de-*

debemus: ut omnes verè Catholici noverint, se cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere. Origines *erravit talis ac tantus*, ut inquit idem Vincen. L. c. *Sed dum Gratiâ* DEI *insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cùm parvi pendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plùs cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & Veterum Magisteria contemnens, quædam Scripturarum Capitula novo more interpretatur*, &c. *Sed & Tertulliani* (loquor verbis ejusdem Vincen. cap. 24.) *eadem quoque ratio est* (in cujus laudes postquam excurrisset, addit) *Et tamen hic quoque post hæc omnia hic inquam Tertullianus Catholici dogmatis, i. e. Universalis ac vetustæ fidei parum tenax ac disertior multum quàm felicior, mutata deinceps sententia, fecit ad extremum, quod de eo B. Confessor. Hilarius* (in 5 Matth.) *quodam loco scribit. Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus autoritatem.* Erravit & Cyprianus & Aug. sed innocentes hi fuerunt errores, quia à regula fidei à Majorum doctrina bene perspectâ non recesserunt, de quo supra Manud. 2. Arg. 7. & D. Augustinum ipsum in exponendis Scripturis juxta communem Patrum interpretationem suam correxisse sententiam constat, ex ejusdem testimoniis. Tom. 7. contra Jul. Pelag. L. 6. c. 11. ubi post multa concludit: *Hinc factum est, ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ Sancti notique Doctores* &c. Item Tom. 1. Retract. Lib. 1. C. 23.

Ad 2. Respondeat D. Augustinus. *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimæ regulæ Catholicæ defensores salvâ fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius; hoc autem unde nunc agimus ad ipsa fidei pertinet fundamenta*; scl. quòd parvuli careant peccato Originali: de quo ibi est quæstio. Tom. 7. contra Jul. Pelag. Lib. 1. c. 2. Contradicebant equidem sibi, sed impr. *Salva fidei compage*; h. e. unitate, non facientes ullas in Ecclesia scissiones & Schismata. Secundo in rebus nondum claré & manifestè toti Ecclesiæ propositis & declaratis, adeoque de quibus adhuc pro & contra disputari poterat. Tertio. In rebus probabilibus, non autem ad ipsa *fidei fundamenta* pertinentibus. Quarto. Ita ut accedente Ecclesiæ determinatione v. g. in Concilio Universali omnes eidem parerent, & in charitate atque unitate Ecclesiastica permanerent, id quod de-

declarat Tom. 7. de Bap. cont. Donat. Lib. 1. Cap. 18. *De Baptismo, inquit, piè credamus, quod universa Ecclesia à Sacrilegio Schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alii adhuc de ista quæstione salva pace sentirent, donec Universali Concilio, unum aliquid eliquatum, sincerumque placuisset, humanum errorem cooperiret charitas Veritatis*, idque etiam comprobat exemplo D. Cypriani Tom. 7. cont. Gaudent. L. 3. C. 10. Qua de re plura vide. Tom. 7. de Bapt. cont. Donat. L. 2. C. 24. Ib. L. 3. C. 2. &c.

Ad tertium Respondeat idem D. August. explicetque mentem suam. Nimirum, ait, ille, *quòd liceat nobis aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere.* Sed cum addito ab eodem *salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus*: & *si forte invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habeat*, Divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis inventa. Ait quoque *quòd contra illos sentire liceat*, sed quemadmodum addit, *sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat.* Non autem dicit ut illis liceat contradicere in iis, in quibus est manifesta veritas, & quæ ad fidei fundamenta spectant. Non enim obscurè testatus est, *non secùs Patrum fidem adversus hæreticos defendendam esse, quàm ipsum Evangelium contra Christi professos hostes defendi solet.* L. 2. cont. Jul. circa finem.

Ad quartum supra sat superque responsum. Manud. 2. Arg. VIII. ad finem. Et certè quando inquiunt hi tum esse SS. Patres admittendos, quando cum S. Scriptura conveniunt, eo ipso faciunt semetipsos arbitros & Judices, an & quo pacto cum S. Scriptura conveniant? Unde fit, ut si quis eam juxta suum præconceptum sensum & opinionem explicet, facile ac pronum sit illi SS. Patrum sensum repudiare, si cum suo sensu non conveniat. Quis demum erit hujus ipsius arbiter quòd tu rectè judices SS. Patres cum S. Scriptura convenire? cum id alter neget? aut tu neges & alter affirmet? An non tutius est in simplicitate cordis in obsequium fidei intellectum captivando Ecclesiæ judicio & arbitrio stare, decernentis quænam Patrum sententia cum S. Scripturæ mente conveniat, id quod Catholici facimus.

PROPOSITIO V.

Illa Ecclesia quæ Veritates fidei tenet, docet, ac proponit juxtà unanimem ac perpetuum sensum & consensum Ecclesiæ Universalis (non obstante unius aut alterius particularis hominis aut Ecclesiæ contradictione) est Ecclesia Proponens Veritates Fidei à DEO verè revelatas per modum Regulæ activæ infallibilis autoritatis.

Omnis illa veritas, quam Ecclesia docet, ac proponit juxta unanimem ac perpetuum sensum ac consensum Ecclesiæ Universalis, est verè à DEO revelata.

PRopositionis hujus veritas pendet ab hac Majore: *Omnis illa veritas, quam Ecclesia docet ac proponit juxta unanimem & perpetuum sensum & consensum Ecclesiæ Universalis*, (non obstante unius aut alterius particularis hominis, aut Ecclesiæ contradictione) *est verè à DEO revelata.* Si enim hæc major vera est, sequitur evidenter & certò quod si talis veritas taliter proposita est verè à DEO revelata: igitur Ecclesia taliter proponens Veritatem Fidei est verè Ecclesia Proponens. Dixi porro *non obstante unius aut alterius particularis hominis, aut Ecclesiæ contradictione.* Nunquam enim non reperiebantur homines in Ecclesiâ, aut etiam Ecclesiæ particulares, quæ non contradicerent Ecclesiæ Universali juxta effatum S. Pauli. *Oportet hæreses esse* id quod ex Historia Ecclesiastica patet. Dixi etiam *juxta unanimem ac perpetuum sensum & consensum.* Per ly *Perpetuum* intelligendo constantem omnibus vel multis temporibus inter fideles successivè vigentem. Quæ perpetuitas sensus & consensus unanimis est evidens signum & nota veritatis. Jam major illa

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Probatur 1. ex S. Scriptura: Quia Universæ Ecclesiæ à Christo D. appromissus est Spiritus S. veritatis, qui cum eadem mansurus sit, *usque ad consummationem seculi.* Joan. 14. 16. qui item eandem *docturus omnem veritatem.* Joan. 16. 13. Ergo quidquid unanimi consensu universa Ecclesia tenet, & docet ac proponit fidelibus à DEO revelatum, omnino revelatum & credendum est omnibus. Eadem dicitur à S. Paulo: *Columna & firmamentum veritatis.* Ergo errare nec deficere potest in credendo ac proponendo eas veritates quas DEUS revelavit. Denique Christus D. tantam vult fidem haberi Ecclesiæ, ut quisquis illam *non audierit*, *sit tanquam Ethnicus & Publicanus.* Luc. 6.

Probatur 2. Autoritate Conciliorum.

Probatur 2. Concilia tum particularia tum Generalia semper respiciebant consensum unanimem ac perpetuum Ecclesiæ Universalis, quod patet tum ex dictis, quia ad consensum SS. PP. unanimem

mem in definiendis veritatibus fidei recurrebant, hi autem non aliter sentiebant, nisi ita prout universa Ecclesia, ut patet ex eorundem Testimoniis sup. citatis Manud. 2. Arg. 10.

Probatur 3. Quia SS. Patres in veritatibus Fidei à DEO revelatis ad eundem unanimem consensum Ecclesiæ recurrendum esse docent. Audiamus D. Augustinum postquam dixisset: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt:* tum addit: *Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione D. DEI nostri & Salvatoris JESU Christi Universalis Ecclesiæ confessione est roboratum.* Tom. 7. de Bapt. contra Donat. L. 7. C. 53. Quasi dicat: Nihil esse fidelibus credendum nisi id, quod Concilio plenario est terminatum, aut confessione Universalis Ecclesiæ roboratum, Confessione inquam etiam extra Concilium spectata. Id quod ex ejusdem aliis testimoniis deducitur, ait enim ib. Lib. 5. 6. 22. *Illa quæ ad Quintum scribit Cyprianus cum Collegis suis benè considerata, nullo modo proferenda sunt adversus totius Ecclesiæ Catholicæ Confessionem.* Et Cap. 23. *Sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam Scripta non reperiantur.* & Lib. 2. C. 7. *Sunt multa quæ non inveniuntur in literis* (scil. Apostolorum) *neque in Conciliis posteriorum, & tamen per universam custodiuntur Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Idem S. Doctor testatur hanc consensionem unanimem illi fuisse magnum argumentum, quod illum in Ecclesia tenebat, ait enim inter alia. *Tenet me in Ecclesia Catholica consensio populorum atque Gentium.* Epist contra Manich. C. 4. Idem Lib. 5. ad Januar. C. 5. ait: *Quid horum sit faciendum, si Divinæ Scripturæ præscribit autoritas, non est dubitandum. Similiter etiam si quid horum tota per Orbem frequentat Ecclesia: nam & hinc, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Et Lib. 1. cont. Crescon: Gram. C. 33. *Quamvis*, ait, *hujus rei certum de script. Canonicis non proferatur exemplum* (scil. de non rebaptizandis hæreticis) *eorundem tamen in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod Universæ jam placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas, ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate S. Scriptura demonstrat.*

Probatur 3. ex SS. Patribus & Doct. Ecclesiæ.

Confirmat id Tertullianus, qui Lib. de Præscript. C. 21. hanc nobis Præscriptionem contra omnes hæreticos tenendam firmiter tradit. *Hanc igitur dirigimus Præscriptionem: si D. JESUS Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, & cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est quid illis revelavit Christus, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt ipsi eis prædicando tam viva quod ajunt voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis Matricibus & Originalibus fidei conspiret veritati deputandam, id est, sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à DEO suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum & Christi, & DEI.* Hanc igitur docet Tertull. præscriptionem veræ fidei contra falsam esse. Si nimirum Ecclesia Universa unanimi consensu ac perpetuo conspiret tenens id quod ab Apostolis accepit, Apostoli à Christo, Christus à DEO: id quod verba ejus apertè sonant.

Confirmat idem fusius Vincentius Lirin. c. 1. & 2. toties à nobis citatus hic & in Scrutinii verit. fid. Part. 2. manifeste enim ait *hanc esse quasi generalem & regularem* (quasi diceret regiam) *viam Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernendi, ut scl. Propheticæ & Apostolicæ* (i. e. Sacræ Scripturæ) *interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur.* & Cap. 3. *In ipsa item Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim vere propriéque Catholicum &c. Sed hoc demum ita fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si tam unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia.* Agnoscit igitur unanimem ac perpetuum totius Ecclesiæ consensum esse medum & argumentum fidei.

Probatur 4. Quia vera Christi Ecclesia sine unanimi, & perpetuo fidelium consensu consistere nequit.

Probatur 4. Vera Christi Ecclesia sine unanimi ac perpetuo universim fidelium sensu & consensu in veritatibus fidei credendis nullo modo consistere potest. Hæc enim vera est nota & characteristica veræ Christi Ecclesiæ, quia fundata in charitate seu consensione

ſione & veritate, quam conſenſionem Chriſtus Dominus ſuæ Eccleſiæ vel maximè commendavit: quia de illa *novum mandatum* dedit Joan. 13. 34. proque illa Patrem Æternum ardenter oravit Joan. 17. 21. Hæc tanquam teſſeram ſuam ſuis diſcipulis reliquit Joan. 13. 35. Quam etiam Apoſtoli ſingillatim D. Paulus Eph. 4. 3. 11. 1 Cor. 1. 10. It. 1 Cor. 10. & 12. Gal. 5. 21. Philip. 2. 1. fidelibus energicè commendatam & inculcatam voluit. In qua igitur Eccleſia reperitur hic unanimis ac perpetuus conſenſus fidelium in rebus ad fidem ſpectantibus, in illa non eſt dubitandum, quin veritates fidei verè à DEO revelatæ teneantur, doceantur, proponantur, ſecùs ubi non eſt hic conſenſus, adeoque neceſſe eſt illam Eccleſiam eſſe verè proponentem veritatem Fidei per modum Principii & Regulæ infallibilis autoritatis, in qua eſt illa unanimis ac perpetuus ſenſus & conſenſus in veritatibus fidei credendis.

Probatur 5. Unanimis ac perpetuus fidelium ſenſus & conſenſus videtur quodam modo ſartam tectam conſervare Eccleſiæ Proponentis Oeconomiam. Oeconomia enim Eccleſiæ in ratione fidei conſiſtit in hoc, ut fideles credant id quod DEUS revelavit, id autem conſtat Deum revelaſſe, quod in verbo DEI ſcripto vel tradito manifeſtatum, vel in Conciliis definitum, vel à SS. Patribus declaratum ſeu disjunctive ab uno horum, ſeu copulative ab omnibus ſimul. Atqui unanimis ac perpetuus fidelium conſenſus hæc omnia integrè tenet: neque ſine hoc illa ullo modo conſiſtere poſſunt. *Probatur 5. Quia hic unanimis atque perpetuus conſenſus Eccleſiæ Oeconomiam ſartam tectam conſervat.*

Probatur 6. à Contrario. In qua Eccleſia non eſt unanimis, ac perpetuus conſenſus, in illa neceſſe eſt eſſe Schiſmata, ſciſſiones, & diviſionem, adeoque confuſionem quandam Babylonicam, & quoddam chaos in fide. Ubi autem ſunt Schiſmata & ſciſſiones, ibi non poteſt eſſe vera Eccleſia, adeoque nec Proponens autoritatis infallibilis veritates fidei à DEO revelatas & credendas. Nam juxta D. Auguſtini effatum. *Non habet DEI charitatem, qui Eccleſiæ non diligit unitatem, & foris ab Eccleſia conſtitutus & ſeparatus à compage unitatis, & vinculo charitatis æterno ſupplicio puniendus eſt talis, etiamſi pro Chriſti nomine vivus incenderetur.* Lib. 3. de Bapt. cont. Don. L. 16. Idem Schiſma *immane crimen immane ſacrilegium, quod omne ſcelus ſupergreditur, crimen quoque atrociſſimum* diverſis locis appellat. Igitur neceſſe eſt ibi ſolum eſſe Eccleſiam veram, ubi eſt unanimis ſenſus & conſenſus, adeoque illa Eccleſia quæ hunc conſervat debet eſſe proponens veritates fidei verè à DEO revelatas. *Probatur 6. à Contrario.*

No-

Unanimis hic fidelium consensus est distinctus ab ipsa traditione.

Notandum porro quòd posset ab aliquo dubitari: An non consensus hic fidelium, de quo hic non sit idem cum traditione Ecclesiæ. Ad quod Respondeo Negative. Tum quia Latiùs patet hic Consensus quàm Traditio: Consensus enim hic ad ipsam traditionem requiritur, ut nimirum omnes fideles conveniant in eo, an hoc vel illud sit verè traditum ab Apostolis. Unde nisi hic consensus adesset nullum in Ecclesia haberet valorem traditio. Idem consensus probat quænam sint legitima Concilia? quæ non? quæ item SS. Patrum doctrina conformis toti Ecclesiæ? quæ non? Tum quia hic Consensus in fide & charitate, est prior traditione. *Credentium enim erat cor unum & anima una.* Act. 4. 32. antequam scl. credenda per traditionem accepissent. Tum quia S. Paulus hæc distinxit eò ipso, quia diversis locis hortatur fideles *ad tenendas traditiones*, diversis ad *unanimem consensum*, ut patet ex citatis locis, tum hàc tum Propos. 2. Tum quia quòd in Communitate aliqua v. g. Repub. vel Regno est consuetudo, vel Lex vivæ vocis oraculo à legislatore prolata, hoc est in Ecclesia Regno Christi Traditio: sicut autem illa non subsistit, nisi acceptetur & conservetur unanimi consensu & acceptatione populi, sic & hæc fidelium.

MANUDUCTIO IV.

Quænam sit Regia via, quam Ecclesia Proponens infallibilis autoritatis in veritatibus fidei Christi fidelibus proponendis tenere debet: & quâ scrutatori veritatis incedendum, ut veritatem fidei securè investiget, inveniat, & amplectatur.

Regia Via, quam Ecclesia Proponens veritates fidei tenet proponitur.

POstquam ostendimus, Quænam sit in genere Ecclesia Proponens veritates fidei à DEO revelatas Christi fidelibus credendas; necesse est ut ipsam Regiam viam, quâ veritates fidei ab Ecclesia in notitiam credentium deducuntur, velut intento digito demonstremus. Tum ad particularia descendemus, quænam Ecclesia olim atque inpræsentiarum hanc viam stabiliter teneat. Unde hac & præcedenti Manuductione hanc Majorem per modum Hypotheseos pro fundamento præsupponimus.

Illa Ecclesia quæ Regiam viam in proponendis veritatibus fidei universalis

niversis Christi fidelibus credendis, tenet, est verè Ecclesia easdem Proponens per modum Regulæ infallibilis autoritatis.

Hæc porrò Major ut manifesta fiat, Regiam viam veritates fidei proponendi exponamus, præprimis necesse est. Idque sequentibus Propositionibus absolvemus.

PROPOSITIO I.

Regia via proponendi veritates fidei orthodoxæ, easdemque investigandi consistit in duobus Principiis: quorum I. Dictio seu revelatio DEI veritatis primæ, secundum Ecclesia Proponens.

Primum Principium sic proponitur. *Omnis illa veritas fidei quæ est verè à DEO veritate Prima dicta seu revelata, credenda est omnibus Christi fidelibus.*

Atqui

Secundum Principium sic proponitur. *Omnis illa veritas fidei, quam Ecclesia Catholica proponit esse revelatam à DEO est verè dicta seu revelata à DEO veritate Prima.*

Ergo

Ex quibus duobus Principiis sequitur Conclusio fidei irrefragabilis. *Omnis illa veritas fidei quam Ecclesia Catholica proponit revelatam à DEO est credenda omnibus Christi fidelibus.*

Regia via veritates fidei proponendi & investigandi consistit in duobus Principiis.

Hæc Propositio quoad duo Fidei Principia hic posita non eget multa probatione. Nam quoad Primum Principium, etiam Dissidentes nobiscum conveniunt. Secundum quoque in antecedentibus sat superque probatum. Ut autem id manifestius palam fiat, insuper,

Confirmatur ex Doctissimis Valenburghiis Tom. 1. Examine III. Catholici Principii §. 6. De Ecclesia quæ proponit Verbum Dei.

„Per Ecclesiam Catholicam intelligimus omnes Catholicos toto orbe diffusos, vel Concilium generale cui præsidet vel quod approbat Summus Pontifex. Vide Canum. Lib. 4. C. 2. & 4.

„Omnes fideles toto orbe dispersos rectè dici Ecclesiam, Adversarii nostri negare non possunt. Et si velint cavillari vocent Concilium generale, omnes Ecclesiæ Doctores simul sumptos: iis enim promisit Christus futurum ut non errent: quemadmodum in spe-

„ciali de hac re controversia exposuimus. In hoc omnes Catholici „conveniunt. Vide Bellarm. de Verbo DEI. Cap. 3. §. tota igitur.

„ Esse necessarium ut sit Ecclesia proponens Verbum DEI, a- „gnoscunt adversarii. Ita Melanchton. *Docentem Ecclesiam amare, „vereri & venerari discamus, & purioris Ecclesiæ testimonia inqui- „ramus, sicut in Allegoria Samsonis dulcissime significatum est; nisi „arassetis meâ vitulâ non invenissetis, id est, nisi audiissetis laboran- „tem Ecclesiam in Ministerio, quæ Custos Verbi* DEI, *prorsus igno- „tum esset vobis Verbum* DEI. Loc. Com. de Eccl. p. 548.

„ Calvinus. *quia nunc de visibili Ecclesia disserere propositum est, „discamus vel uno Matris elogio, quam utilis sit nobis ejus cognitio „imo necessaria: quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ip- „sa concipiat in utero, nisi pariat, nisi alat suis uberibus, denique „sub custodia & gubernatione suâ nos tueatur, donec exuti carne mor- „tali similes erimus Angelis.* Lib. 14. Instit. c. 1. §. 4. Item *veritas „Evangelii solius Ecclesiæ ministerio in terris conservatur.* in 1 Tim. „3. 15. Idem docet Confes. Helv. poster. art. 1. pag. 16. & art. 7. „pag. 26. & art. 18. pag. 56. 57.

„ S. Augustinus: *Caveamus tales cogitationes superbissimas & pe- „riculosissimas, magis cogitemus & ipsum Apostolum Paulum licet Di- „vina & Cœlesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen „missum esse, ut Sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ: „& Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, ele- „emosinasque respectas ei Angelus annuntiaverit; Petro tamen tradi- „tum imbuendum, per quem non solum Sacramenta perciperet, sed „etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset au- „diret.* Et mox: *Quisquis se nullis præceptis instructum Divino mu- „nere, quæcunque in Scripturis obscura sunt gloriatur intelligere.* „mox: *cum legit & nullo sibi homine exponente intelligit; cur ipse „affectat aliis exponere, ac non potius eò remittit* DEO, *ut ipsi quo- „que non per hominem, sed illo intus docente intelligant.* In Prol. de „Doct. Christian.

„ Irenæus Lib. 3. c. 40. *Qui non participant eum* (Spiritum) *neque „à mamillis Matris* (Ecclesiæ) *nutriuntur in vitam, neque percipiunt „de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt si- „bi lacus detritos* &c.

„ S. Hilarius *significat* (Christus è Navi docens) *eos qui extra Ec- „clesiam positi sunt, nullam Divini sermonis capere posse intelligen- „tiam. Navis enim Ecclesiæ typum præfert: intra quam verbum vitæ* pro-

propositum & prædicatum. Hi qui extra sunt & arenæ modo steri- »
les atque inutiles adjacent, intelligere non possunt. in Matth. C. 3. »
Itaque necesse est credere Verbo DEI per Ecclesiam proposito; »
modo nobis constet hanc Ecclesiam nec decipi nec decipere; (seu »
ut nos dicimus, eam esse per modum regulæ infallibilis autori- »
tatis.) »

Porro ut constet certò hanc Ecclesiam nec decipi, nec decipere, hæc ipsa veritas quam Ecclesia Catholica in particulari proponit à DEO veritate Prima dictam seu revelatam esse, debet patere ex certis & apodicticis argumentis, rationibusque, quibus scilicet Ecclesia Catholica comprobet id ita se omnino habere prout proponit. Intellectus enim credentis non aliter potest esse certus de veritate fidei revera à DEO revelata, nisi certis & infallibilibus argumentis convincatur. Unde & ipsa Ecclesia Catholica debet illa ipsa argumenta & rationes præstò habere, quibus in proponendis veritatibus fidei orthodoxæ firmiter insistat, adeoque exhibeat se verè esse Proponentem per modum regulæ infallibilis autoritatis; quòd scilicet in propositione illarum Veritatum fidei, nec ipsa fallatur, nec alios fallat, hinc sit

PROPOSITIO II.

Ecclesia Proponens Veritates fidei Orthodoxæ verè à DEO *revelatas, Quinque id Mediis, Rationibus, seu Argumentis infallibilibus demonstrat.*

I. ARGUMENTUM

Ecclesiæ Proponentis, quod aliqua Veritas sit à DEO *veritate Prima verè revelata, adeoque à fidelibus credenda, est,* Verbum DEI scriptum: *quod sic applicat Veritatibus quas proponit credendas.*

Ecclesia Proponens Veritates fidei verè revelatas à DEO comprobat 5. Argumentis. Primum Argumentum ex Verbo DEI scripto.

OMnis illa veritas, *quæ in Verbo* DEI *scripto revelata continetur, est verè revelata à* DEO *Veritate Prima.*

Atqui *hæc vel illa in particulari veritas v. g. Incarnationis Filii* DEI, *continetur in Verbo* DEI *scripto revelata.*

Ergo *hæc vel illa veritas in particulari v. g. Incarnationis Filii* DEI, *est verè revelata à* DEO *veritate Prima.*

Major Propositio non eget probatione, cùm ab omnibus etiam Dissidentibus concedatur.

Minorem Ecclesia probat inductione Testimoniorum S. Scripturæ.

Conclusio suâptè naturâ sequitur. Ex qua concessa, sic ultra argumentatur subinferendo.

Ergo *hæc vel illa veritas in particulari. v.g. Incarnationis est omnibus Christi fidelibus credenda.* Idque ipsum hac ratiotinatione concludit.

Omnis illa veritas quæ in verbo DEI *scripto revelata à* DEO *veritate prima continetur, est credenda.*

Atqui *hæc vel illa veritas in particulari v.g. Incarnationis Filii* DEI, *continetur in Verbo* DEI *scripto revelata.* Ergo *est credenda.*

Ubi etiam Major Propositio ab omnibus conceditur. Minor Inductione patet. Conclusio per se sequitur. Et hic terminus esto immobilis.

II. ARGUMENTUM.

Ecclesiæ Proponentis est Verbum DEI *traditum hoc modo.*

II. Argumentum ex Verbo DEI tradito.

O*Mnis illa veritas quam in verbo* DEI *tradito revelatam reliquêre Apostoli, eorumque successores Ecclesiæ, est verè revelata à* DEO *veritate Prima.*

Atqui, *hanc vel illam veritatem, in particulari v.g. baptismum parvulorum, in Verbo* DEI *tradito revelatam reliquere Apostoli, eorumque successores Ecclesiæ.*

Ergo *hæc vel illa veritas in particulari v.g. baptismus parvulorum, est verè revelatus à* DEO.

Hinc subinfer. Ergo *hæc veritas est credenda.* Quia *Omnis illa veritas quam in verbo tradito revelatam reliquêre Apostoli, eorumque successores Ecclesiæ, est credenda. Sed hanc reliquêre.* Ergo.

Major utriusque Argumenti constat ex suprà dictis.

Minor probatur ab Ecclesia Inductione Testimoniorum. Origenis c. 6. Epist. ad Roman. August. de Gen. ad Lit. Lib. 10. c. 13. & de Bapt. contra Donat.

His præmissis certis conclusio indubitata sequitur & irrefragabilis. Et hic quoque terminus immobilis.

III. AR-

III. ARGUMENTUM.

Ecclesiæ Proponentis est Oecumenicorum Conciliorum Autoritas, sic ratiocinando. III. Argumentum ex Conciliorum Oecumenicorum Autoritate.

OMnis illa veritas, *quæ in Concilio Oecumenico seu generali legitime congregato est definita & decreta contra hæreticos, est verè revelata à* DEO. Et hæc Major probata est supra.

Atqui, *hæc vel illa veritas v. g. Christum D. unâ solùm personâ Verbi, absque persona humana subsistere in Concilio Oecumenico Ephesino legitimè congregato est definita & decreta contra Nestorium.* Et hæc Minor est certa testimonio hujus Concilii, idemque patet inductione aliarum veritatum in Conciliis decretarum.

Ergo. *hæc vel illa veritas v. g. Christum D. unâ solum Persona verbi, absque persona humana subsistere, est verè revelata à* DEO.

Quod si verè revelata. Ergo *credenda omnibus Christi fidelibus. Quia omnis veritas verè à* DEO *revelata, credenda est.* Atqui *hæc in Concilio revelata.* Ergo.

Neque ab hoc termino datur processus ulterior.

IV. ARGUMENTUM.

Ecclesiæ Proponentis SS. Patrum & Doctorum in unum conspirans doctrina & sententia partim in S. Scripturæ explanatione partim extra illam vulgata. Quod Arg. sic proponit. IV. Argumentum ex SS. Patrum conspirante doctrina & sententia.

OMnis illa veritas *quam SS. Patres & Doctores sensu & sententia unanimiter conspirante tenent ac docent, est verè à* DEO *revelata.*

Atqui, *hanc vel illam veritatem v. g. in* Eucharistia *dari veram & realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, SS. Patres & Doctores sensu & sententia unanimiter conspirante tenent ac docent.*

Ergo, *hæc vel illa veritas v. g. in* Eucharistia *dari veram ac realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, est verè revelata à* DEO.

Atqui hinc subsumit. Ergo *omnibus Christi fidelibus credenda: Quia omnis veritas à* DEO *verè revelata, est credenda: hæc est revelata,* ut dictum. Ergo *credenda.*

Major Argumenti probata superius. Minor patet Inductione Sententiarum SS. Patrum & Doct. partim Scripturas exponentium,

partim præter expoſitionem earundem. Concluſio ex naturâ ſua certa & infallibilis conſequitur præmiſſas certas & infallibiles. Et in hoc termino ſiſte gradum.

V. ARGUMENTUM.

V. Argumentum ex unanimi ac perpetuo fidelium conſenſu.

Eccleſiæ Proponentis, unanimis ac perpetuus fidelium ſenſus & conſenſus. Quod ſic applicat veritatibus fidei.

O*Mnis illa veritas quam univerſi aut plurimi Chriſti fideles unanimi ac perpetuo ſenſu & conſenſu tenent ac credunt (non obſtante aliquorum, vel alicujus Eccleſiæ particularis diſſenſu) eſt verè revelata à DEO.*

Atqui, hæc *vel illa veritas v. g. præter Verbum DEI ſcriptum dari etiam traditum univerſi aut plurimi Chriſti-fideles unanimi ac perpetuo ſenſu & conſenſu tenent, ac credunt.*

Ergo, *hæc vel illa Veritas v. g. præter Verbum DEI ſcriptum dari etiam traditum, eſt verè revelàta à* Deo.

Ergo per conſequens, *credenda omnibus Chriſti-fidelibus* Quia *verè revelata in unanimi conſenſu fidelium. Omnis autem veritas ſic etiam revelata eſt credenda.*

Major Argumenti conſtat ex probationibus ſup. adductis.

Minor ex teſtimoniis & inductione unanimi conſenſus. Concluſio certa fluit ex præmiſſis certis. Et hic non plus ultra.

Hæc igitur eſt Regia Via quam Eccleſia Catholica omnibus ſeculis tenuit in proponendis Veritatibus fidei. Hac & ſcrutatori Veritatis eundum, ni velit in mæandros errorum incidere.

Nec verò ulteriore indiget Probatione, cùm per partes ſuperiori Manuductione ſit ſat ſuperque probata. Sola duntaxat requiritur compoſitæ mentis applicatio cum piâ affectione ad Veritatem unicam in ſimplicitate cordis cognoſcendam & amplectendam. Quæ pia affectio à Piiſſimo Patre Luminum & ejus SS. Spiritu ſuppliciter & ardenter imploranda. Nihilominus tamen.

Regia via hæc confirmatur I. ex D. Auguſtino.

Confirmatur hæc Regia via, Imprimis ex D. Auguſtino. qui admiſſâ hac veritate quòd præter Revelationem Dei alterum fidei Principium & Regula ſit Eccleſia Catholica Proponens, ut ſup. declaratum eſt: docet ab Eccleſia revelationem Veritatum fidei, dictis quinque mediis argumentis ſeu rationibus comprobari: Videlicet. 1 Verbo Dei ſcripto. 2 Verbo Dei tradito. 3 Conciliorum plenariorum decretis. 4 SS. Patrum Autoritate. 5 denique Una-

Unanimi Ecclesiæ consensione. Id quod & hac & secunda Manud. probatum est.

Confirmatur 2. manifestè ex Vincentio Lirinensi. Qui cap. 41. faciens recapitulationem eorum: quæ præcedenti libro dicta sunt, ita concludit: *Quæ cum ita sint, jam tempus est ut ea quæ duobus his Commonitoriis dicta sunt, in hujus secundi fine recapitulemus. Diximus in superioribus hanc fuisse semper & esse, hodieque Catholicorum consuetudinem ut fidem veram duobus his modis approbent. Primum Divini Canonis Autoritate, deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Confirmatur 2. ex Vincentio Lirinensi.

En duo priora media, argumenta, seu ut ille vocat *Modos*, quibus Ecclesia Catholica proponens Veritates fidei à DEO verè revelatas comprobat.

Item diximus (subdit Vinc. Lirin.) *in ipsa rursus Ecclesia Universitatis pariter, & antiquitatis consensionem spectari oportere, ne aut ab unitatis integritate in partem Schismatis abrumpamur, aut è Vetustatis religione in hæreseon novitates præcipitemur.*

En Argumentum à nobis positum in ordine quintum. Nimirum unanimis ac perpetuus omnium aut saltem plurium fidelium consensus: quo etiam Veritates fidei verè à DEO revelatæ firmantur.

Item *Diximus* (addit) *in ipsa Ecclesiæ Vetustate duo quædam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhærere deberent, quicunque hæretici esse nolint. Primum si quid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus Universalis Concilii autoritate decretum.*

En Tertium à nobis adductum Argumentum Ecclesiæ Proponentis, nimirum ab Autoritate Conciliorum desumptum.

Deinde Si qua nova exurgeret Quæstio, ubi id minimè reperiretur, recurrendum ad SS. Patrum sententias eorum dumtaxat, qui suis quique temporibus & locis in unitate fidei & communionis permanentes Magistri probabiles exstiterunt. Et quidquid uno sensu & consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesiæ verum, atque Catholicum absque ullo scrupulo judicaretur.

En Quartum Argumentum Ecclesiæ Proponentis à SS. Patrum Unanimi sensu & sententia.

Confirmatur 3. ex illustrissimis Valenburchiis Tom. 1. Tract. 2. in Methodo Augustiniana. Qui cùm præsupposuissent Principium Catholicum unicum *Verbum* DEI *ab Ecclesia propositum*, 3. Ex Valenburchiis.

quod

quod tamen in re ipsa est duplex. Verbum enim Dei distinctum quid est ab Ecclesia, si tamen conjunctim accipiatur dici potest unicum per compendium: claritatis tamen gratiâ à nobis duplex statui debet. Nim. Verbum Dei prout scl. abstrahit à scripto & non scripto; quod ipsamet est revelatio Dei, & Ecclesia Proponens; quod ipsum duplex principium distinctè statuunt diversis locis. Porro hanc Ecclesiam Proponentem adhibere certas Probationes eidem docent, parte 3. observ. 3. *Omnis*, ajunt, *Catholica probatio debet esse per terminos expressos, seu æquivalentes, sine additione aut detractione aut mutatione. Probatio 1. inquiunt, desumitur ex Conciliis generalibus, aut Praxi universalis Ecclesiæ &c. Probatio 2. desumitur ex S. Scriptura. Probatio 3. ex SS. Patribus Scripturam explicantibus &c. Probatio 4 ex SS. Patribus Scripturam non explitantibus: probationis hoc genus nobis sufficit ad articulum fidei, quia continet, praxim Universalis Ecclesiæ, quam credimus infallibilem.*

In his quas statuunt Probationibus includuntur nostra Quinque Argumenta seu media probandi Veritates fidei verè revelatas. Ponunt enim Probationem ex S. Scriptura, ex Conciliis, ex SS. Patribus, & Praxi Ecclesiæ, quo nomine intelliguntur inpr. Traditiones. Deinde unanimis fidelium ac perpetuus consensus.

Admiranda quædam Syntaxis seu nexus horum quinque inter se argumentorum.

Notanda porro hic est admiranda quædam Syntaxis seu nexus horum quinque inte se argumentorum. Quia videlicet unum sine alio esse nequeat, unum enim testatur de alio, unumque probatur per aliud. Nam v. g. Verbum Dei scriptum testatur de Tradito, de Conciliis, de Patrum Autoritate, de fidelium consensu. Traditione quoque probatur, quòd Scriptura S. sit verè Verbum Dei, quòd hæc legitima Concilia, hæc Patrum sententia, hic fidelium unanimis consensus. Concilia similiter probatione utuntur à Verbo Dei tam scripto, quàm tradito, à SS. Patrum consona sententia, atque fidelium unanimi consensu. SS. Patres insuper doctrinam, quam tradunt, Verbo Dei scripto, & non scripto, Conciliis & fidelium consensu, comprobant. Fidelium denique unanimis consensus & ad S. Scripturam, & ad traditiones, & ad Concilia, & ad SS. Patrum autoritatem respicit. Ut vel inde pateat, quàm firmis Ecclesiæ proponentis structura nitatur fundamentis, quàm solidis fulciatur firmamentis. Quodque hæc sint velut nervi compaginis, rerumque credundarum æque ac gerundarum Corpori Ecclesiæ. Adeò ut si nullum aliud foret Ar-

Argumentum pro veritate unicæ orthodoxæ Ecclesiæ, hæc certè sufficerent. Nimirum hæc Divinum Numen evidentia Ecclesiæ suæ Proponentis revelatas à se veritates testimonia & characteristicas esse voluit, ut Verè dici possit *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ps. 118. Si enim ad comprobandas veritates revelatas à DEO unum deesset, adest aliud. Id enim quod v. g. S. Scriptura claris & disertis verbis non explicat, proponit Ecclesia per Verbum traditum, vel per Conciliorum decreta, vel per conspirantem SS. Patrum doctrinam, & unanimem fidelium consensum. Si item circa aliquam veritatem, non sit unanimis fidelium consensus, recurrit Ecclesia jam ad S. Scripturam, jam ad SS. Patrum Sententias, jam ad Concilia, jam ad traditiones. Si item circa traditiones sit dissensus, eas Ecclesia discet & docet tum in genere ex S. Scriptura, tum in particulari ex SS. Patribus, ex Conciliis, ex unanimi & perpetuo fidelium consensu, & sic de reliquis. Hæc igitur testimonia de veritate aliqua fidei verè revelata à Deo sunt credibilia nimis. Non enim credibile est, ut talia ac tanta testimonia, atque adeò inter se connexa fallantur & fallant. Et talia quidem testimonia Ecclesiæ Dissidentium pro suis fidei articulis nullo modo habent, qui proinde non veritatum, sed solùm opinionum, in quibus facilè errare, falli & fallere possunt, nomen merentur. Etenim articulos suæ fidei ex solo Verbo Dei scripto deducere contendunt, quod ipsum pro unico argumento & testimonio eorundem habent, sibique appropriant universi, ut cùm illud singuli in suas partes trahant, nullo modo certum ac evidens esse possit, pro quanam parte stet jure potiori; Siquidem diversos, dissonos, quin oppositos ex illo deducunt fidei suæ articulos, diversoque ac opposito interdum sensu illud exponunt, atqui fidei articulis applicant, prout videl. *suus cuique autor est animus*, ut D. August. loquitur, quid *in S. Scripturis probet*, *quid improbet.* Id quod à nobis pluribus in Scrutinii Verit. fid. Par. 1. uberius deductum. Hinc jam sequentia Consectaria inferenda.

CONSECTARIUM I.

Ecclesia quæ hâc viâ in Veritatibus fidei à Deo revelatis proponendis, atque credendis procedit, facillimè & securissime omnibus difficultatibus quæ in rebus fidei ac morum oriri possunt, satisfacit: Quæ autem secus minimè.

Ecclesia hac via procedens facillimè omnes difficultates resolvit.

RAtio est, si enim oriatur in Ecclesia inter fideles aliqua controversia vel difficultas circa hunc vel illum fidei articulum, an sit

ſit à Deo verè revelatus, extemplo Eccleſia recurrit inpr. ad Verbum Dei ſcriptum: circa cujus ſenſum & interpretationem ſi porro exſurgat dubium, recurrit ad Concilia, ad SS. Patrum ſententias explicantium Scripturam, vel extra Scripturam loquentium, ad Traditiones, ad Unanimem denique conſenſum. Et ex tot demum mediis, argumentis ac teſtimoniis concludit aliquid certi & infallibilis, circa res fidei ac morum. Hoc porro ipſum patebit evidentius ex dicendis infra, ubi id in particulari demonſtrabimus de Romana Eccleſia, & de diſſidentibus ab illa Neo-Evangelicis.

CONSECTARIUM II.

Eccleſia quæ hâc via in veritatibus fidei à Deo revelatis docendis & credendis procedit facillime & ſolide convincere poteſt, omnes hæreticos erroris & falſitatis; quæ ſecùs minimè.

Convincit item facillime omnes hæreticos erroris.

PAtet hoc Conſectar. ex Praxi Eccleſiæ, quæ quovis tempore tam in Conciliis generalibus, quàm extra illa non ſolo primo principio, ſed & ſecundo, nec ſolo primo argumento ex Verbo Dei ſcripto, ſed etiam Verbo Dei tradito, Conciliorum decretis, SS. Patrum autoritate, ac tandem unanimi univerſæ Eccleſiæ ſenſu & conſenſu omnes hæreticos errorum & falſitatum convincebat. Adeoque à contrario, Eccleſia quæ hac via ac methodo non procedit nullo modo poteſt hæreticos errorum & falſitatis convincere in fide. Si enim ſolô primô Principiô, & ſolo argumento primo duntaxat utatur, quod utique & heterodoxæ Eccleſiæ ſibi uſurpant, quomodo hæ ab illa convinci poterunt; cum eodem modò ad S. Scripturam, eundemque ejuſdem textum vel ſimilem & æquivalentem recurrant, explicentque eundem, juxta omnes quas ſtatuunt regulas, bonæ interpretationis, *prout ſuus*, ut ait D. Auguſtinus, *cuique autor eſt animus*. De hoc etiam aliquid attigimus Scrutinii Verit. Fidei Part. 1.

CONSECTARIUM III.

Eccleſia quæ hâc viâ procedit non poteſt eſſe niſi unica, cæteræ quæ ſecus plures, atque inter ſe diviſæ quin ſæpe ſibi oppoſitæ.

Hac via procedens Eccleſia non eſt niſi unica.

COnſectarium hoc manifeſtè patere poteſt, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica per omnes ætates, quibus ſemper novi & novi hæretici & hæreſes exſurgebant; contra quas una ſolum Eccleſia Catholi-

ca.

ca hâc viâ incedens pugnabat, easdemque expugnabat. Patebit hoc ipsum ex dicendis infra. Egregiè id confirmat D. Augustinus pluribus locis tum præcipuè Tom. 9. de Symb. L. 1. c. 5. *Credimus Ecclesiam Catholicam; Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam Matth.* 16. Confirmari id potest ex Vincentio Lirinensi, qui hoc argumentum toto suo Commonitorio fuse satis & apertè pertractat.

CONSECTARIUM IV.

Ecclesia quæ hâc viâ in veritatibus Fidei à Deo revelatis proponendis & credendis procedit, est vera vereque orthodoxa & Catholica; quæ autem secùs est falsa heterodoxa & hæretica.

Est denique verè Orthodoxa & Catholica.

HOc Consectarium patet ex antecedentibus: Diximus enim & demonstravimus Manud. 2. Ecclesiam Catholicam esse proponentem Veritates fidei per modum Regulæ infallibilis autoritatis. Demonstravimus ibidem argum. IX. ac X. Praxim perpetuam fuisse in Ecclesia hâc viâ veritates fidei à Deo verè revelatas probandi. Demonstravimus insuper, notam & characteristicam semper in Ecclesia fuisse hæreticorum veritates fidei ex sola Scriptura S. probandi repudiata Ecclesiæ Catholicæ autoritate. Patet igitur ex jam dictis Consectarii hujus veritas, quòd nimirum: illa Ecclesia, quæ hâc viâ in proponendis & credendis veritatibus fidei incedit sit vera, orthodoxa, Catholica; non item, quæ secus procedunt.

MANUDUCTIO V.

Quænam sit in particulari Ecclesia tenens Regiam Viam proponendis Veritatibus fidei Orthodoxæ eisdemque credendis, adeoque quâ scrutatori veritatis fidei in eadem indaganda procedendum.

Quænam sit in particulari Ecclesia Regiam Viam in proponendis Veritatibus fidei Orthodoxæ tenens?

MAnuductio hæc continebit Minorem subsumptam ad hanc Majorem in præcedentibus duabus declaratam, hoc pacto. *Illa*

Ecclesia quæ Regiam viam (hic explicatam) *in proponendis veritatibus fidei, eisdemque credendis tenet est verè Ecclesia Proponens easdem per modum regulæ seu Principii infallibilis autoritatis.*

Atqui, *Sola Romana Ecclesia hanc viam tenet.*

Major in Antecedentibus probata sufficienter

Minor hic probanda, quâ probatâ, necesse est sequi Conclusionem certam & infallibilem.

Ergo, *Sola Romana Ecclesia est verè* Ecclesia *Proponens easdem veritates fidei per modum Regulæ infallibilis autoritatis.*

PROPOSITIO I.

Non est ulla ex præsentibus Neo-Evangelicis Dissidentibus.

Nulla ex præsentibus Neo-Evangelicorum Dissidentium inter se atque à Romana Ecclesiis *in proponendis Veritatibus fidei, eisdemque credendis hanc Regiam viam tenet.*

PRopositio hæc non multâ eget Probatione; patet enim ex dictis. Etenim Ecclesia prædicta proponens procedit in proponendis veritatibus fidei verè à Deo revelatis, hâc viâ, nim: quod duo adhibeat Principia, & quinque argumenta, ut demonstratum supra. Atqui nulla præsentium Ecclesiarum Dissidentium Neo-Evangelicarum hac via incedit. Non Lutherana, non Calviniana Reformata dicta, non Sociniana, non Anabaptistarum Mennonistica, non Quackeriana: hæ enim omnes unum solùm admittunt Principium? *Revelationem seu Verbum Dei;* excludunt alterum, nimirum *Ecclesiam Catholicam proponentem.* Revelationemque ipsius Dei, uno solùm argumento probant, nempe *Verbo Dei scripto*, cætera autem, *Verbum Dei traditum*, *Conciliorum*, *Sanctorumque Patrum autoritatem*, *Consensum Ecclesiæ Universæ*, rejiciunt. Igitur nulla illarum dici potest hanc viam tenere in Veritatibus fidei proponendis eisdemque credendis.

Respondetur ad objectiones.

Opponet quis primo: Etiam Protestantes *Concilia* & *Sanctos Patres* in Veneratione habent, eosdemque tanquam testes Orthodoxæ fidei acceptant, ubi scilicet cum Sacra Scriptura consonant.

Sed Contra est, inprimis id quod supra in simili responsum. Deinde, quando hac solùm conditione *Concilia & Sanctos Patres* admittunt, ut solùm sint Testes, idque ibi ubi cum Sacra Scriptura consonant: quæro quis judicabit illos cum Sacra Scriptura consonare vel non consonare? Hic judex & arbiter non potest dici esse ipsa Scriptura: quia hæc nihil hac in re determinat, præcipuè cùm de illa ipsa quæstio sit, an à Sanctis Patribus v. g. rectè sit intelle-

cta

ᴄta & expoſita? Hic judex & arbiter non ſunt ipſi Sancti Patres, quia de illis ipſis quæritur, an recti & boni ſint teſtes? an verè conſonent cum Scriptura? Ergo ſunt ipſi illi, qui de illis ſtatuunt quod verè, vel ſecus conſonent, cum Scriptura. At verò unde hoc illis? Unde illis hæc Cenſoria poteſtas & autoritas, ut arbitrio ſuo determinent an, & qui Sancti Patres, & quo pacto cum Sacra Scriptura conſonent? vel non conſonent? Et cùm ſolùm Verbum Dei ſcriptum ſit ipſorum Regula & Judex fidei, hanc ipſam ſuam poteſtatem determinandi, qui & quomodo Sancti Patres cum Sacra Scriptura conſentiant ex eadem probent neceſſe eſt. Ubi autem de hoc Sacra Scriptura? Quid ſi inſuper in hoc judicio fallantur cum omnis homo ſit fallibilis & mendax? Non igitur pro ſe habent SS. Patres & Concilia.

Opponet quis ſecundo. Aliqui Lutherani prædictam viam tenent. Sigillatim Chriſtianus Drejerus, Doctor Regiomontanus, cum non paucis aſſeclis Syncretiſtis. Oratione de Orthodoxia Anno 1675 diſerte ait: *Sciendum eſt, Theologiæ Chriſtianæ principium proprium & domeſticum eſſe Divinam Revelationem, quæ primo cognoſcitur ex Scripturis Veteris & Novi Teſtamenti: Quidquid enim Scriptura Canonica dicit infallibiliter verum eſt. Et deinde ex Confeſſione Eccleſiæ Catholicæ, ut id quoque quod Scriptura dubium, reliquit, vel hæreticorum contradictione & perverſione dubium factum eſt in propoſitionem reducatur. Nam quidquid Eccleſia Catholica dicit, infallibiliter verum eſt, quippe quæ ſemper à Spiritu Sancto docetur & ducitur in omnem veritatem. Quæ autem ſit Confeſſio Eccleſiæ Catholicæ cognoſcitur ex communi conſenſu Patrum & decretis Conciliorum ab eadem Eccleſia Catholica approbatorum tanquam notioribus nobis. Quare qui rejicit Sententias Patrum & Conciliorum, & omnem antiquitatis autoritatem, non poteſt ſuam probationem, quam petit ex Scripturis ſecundùm omnes propoſitiones ad eam pertinentes, in principium immediatum, & per ſe verum reducere, ſed ſemper relinquit quaſdam dubias & incertas.* Demonſtratque id exemplo de Baptiſmo Infantum. &c.

Sed fateor equidem Virum hunc eximiæ alias eruditionis & animi pacifici, à me jam ante aliquoties laudati, & quo cum etiam mihi amica intercedit notitia, quo ad ipſa principia fidei Orthodoxæ haud diſſidere à nobis, quin nec in Concluſionibus, ſeu Veritatibus particularibus, pleriſque quæ ex illis deducuntur, & ob hanc cauſam apud rigidiores Lutheranos notam Syncretiſmi,

quin & Schismatis à suâ, ut opinantur, Apostolica Evangelica religione incurrit. Fateor eundem viam cæteris Protestantibus facilem aperire, cum Ecclesia Romana Unitatis & Concordiæ conciliandæ, optoque ex animo ut tantam apud eosdem inveniat fidei & autoritatis æstimationem, ut Ducem cæteri non repugnanter sequantur. Porro id velim apud se ipsemet cæterique qui ejusdem sententiam sequuntur maturâ mentis trutinâ perpendant. Quòd cùm fateantur Revelationem DEI esse primum Fidei Orthodoxæ Principium, atque hanc non aliter, quàm ab altero Principio, scilicet Ecclesia Catholica debere proponi, tum ex S. Scriptura, tum si hujus dubius sensus redditus contradictione & perversione hæreticorum, Conciliorum decretis & consensu Patrum; an non hoc unicum supersit, ut jam tandem ad unitatem & communionem Ecclesiæ Romanæ accedant, eamque ingenuè fateantur, esse illam ipsam Proponentem Ecclesiam, Catholicam infallibilis autoritatis: illam item Ecclesiam, ad quam omnes aliæ velut lineæ, ad suum centrum dirigantur: illam, *quæ est Ecclesia Principalis.* teste Cypr. L. 1. Ep. 3. & *ad quam perfidia non potest habere accessum*, *eodem* teste, & Hieron. l. 3. Apol. cont. Ruff. c. 4, *cujus fides Apostolico ore laudata* Rom. 1. *ejusmodi præstigias non recipit.* Illam *quæ maxima & antiquissima & omnibus cognita*: illam, *ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est omnes qui sunt undique fideles.* Iren. L. 3. c. 3. Illam, *quam Radicem atque Matricem Ecclesiæ Catholicæ*, idem vocat. Illam *quam Sanctam sedem, & Apostolicam Matrem & Caput omnium* Ecclesiarum. Athanasius habet Ep. ad Marcum Pont. Rom. Illam, *cujus ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt*, fatente Maximiniano Constantinop. Patriarcha Epist. ad Orientales, Illam, cum *qua Justiniano Imp. Magnum studium fuit servare unitatem.* Cui etiam testatur *properasse se Universi Orientalis tractus sacerdotes subjicere & unire*, *locis* à me citatis Scrut. Ver. fid. p. 257. Illam in qua Cathedræ unitatem, *ab omnibus servatam, ut schismaticus & persecutor esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret*; asserit. Optatus Mil. L. 2. Illam, *cui nolle primas dare summæ impietatis esse, aut præcipitis ignorantiæ* manifestè enuntiat D. Aug. L. de Util. cred. c. 17. Illam, quam *deserere est esse extra veram Ecclesiam*, dicente Cypr. de U-

nitate

nitate Eccles. *Qui*, inquit, *Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Quam *in terris non habere matrem, est non habere in Coelis Patrem*, idem Cypr. & D. Augustinus unanimiter asseverant. Quid multa? novit hæc omnia Dreyerus, nôrunt & cæteri, qui in sui tanti jurant verba Magistri. Eccur ergo, non illo Duce ad unitatem & Communionem hujus Ecclesiæ accedunt? Eccur Schismaticus cum suis à Lutheranis & à nobis potius audire eligit? quàm illis nuntiô remissô nobis amicas porrigere dexteras? Quod si fecerint, hoc fructu gaudebunt, quod animabus & suis, & eorum, quibus Duces & autores unitatis cum Ecclesia fuerint, refrigerium invenient, quia super *viam bonam, regiam*, & *semitas antiquas ambulabunt*. Jer. 6. 16.

PROPOSITIO II.

Sola Romana Ecclesia Viam Regiam tenet in proponendis Veritatibus fidei a Deo verè revelatis.

Vel ex antecedente Propositione patet veritas hujus Propositionis. Si enim hanc viam, nulla Dissidentium inter se atque à Romana Ecclesia tenet: Igitur consequens est solam Romanam eandem tenere. Quia illam viam aliqua Ecclesia tenere debet; alias si nulla; nulla quoque in terris erit Ecclesia Christi. Atqui nulla Dissidentium inter se, atque à Romana illam tenet ut ex immediatè dictis constat. Ergo sola Romana eandem tenet. Sed hæc Probatio est solùm negativa. Positivam adferamus. Sola Romana Ecclesia hanc Regiam Viam in proponendis Veritatibus fidei tenet.

Sola Romana Ecclesia in omnibus Veritatibus fidei proponendis Christi fidelibus credendis, adhibet illa duo Principia 1. Revelationem seu Verbum Dei. 2. Ecclesiam Catholicam Proponentem. Sola item Ecclesia Romana adhibet illa quinque media seu argumenta quibus probat, quòd hæc vel illa veritas fidei, sit à Deo verè revelata.

Quod ipsum Probatur I. ex Historia Ecclesiastica, quam legenti patebit, quòd Ecclesia, ac in ea fideles semper ad hosce velut fontes recurrerint, cum vellent scire, an aliqua veritas à Deo sit revelata, & credenda. Atque ita inprimis primo seculo fecere Apostoli Concilio coacto determinantes de Controversis inter primos Christianos & Judæos quæstionibus, ut vidimus supra Man. 2. Idem practicatum est posterioribus seculis, ut non solùm ad S. Probatur ex Historia Ecclesiastica.

Scri-

Scripturam, sed etiam ad traditiones, ad Concilia, ad doctrinam Patrum, ad consensum Ecclesiarum recurrerint, id quod in particulari, de quovis horum argumento supra à nobis brevibus ab aliis fusius demonstratur. Certè Irenæus L. 3. c. 2. aperte testatur, *de modica quæstione disceptatione obortâ recurrendum esse ad antiquissimas Ecclesias, ad ordinem traditionis, ad assensum eidem etiam multarum barbararum gentium.* Orig. Tr. 29. in Matth. *non aliter, ait, debemus credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt.* Ex Tertull. supra vidimus, quòd *hanc præscriptionem præcipuè contra hæreticos dirigendam statuat, ut non ad solam scripturarum disputationem, cum iis descendamus, sed fidem probari debere, non aliter quàm per Ecclesias easdem, quas ipsi Apostoli condiderunt.* de præscript. 1. c. 21. Basilius de Spir. S. c. 27. ait, quòd *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita, quædam ex Apostolorum traditione, quorum utraque parem vim habent ad pietatem,* ubi adverte phrasim Tridentini Concilii de utrisque quòd *ea pari pietatis affectu & reverentia suscipit,* planè consimilem huic sententiæ Basilii. Hieron. etiam adversus Lucif. *Totius orbis consensum, ait, instar præcepti obtinere, etsi Scripturæ autoritas non subesset.* Non adduco plura Sanctorum Patrum testimonia, ne longus sim. Quæ V. sup. Man. 2. arg. 9. Hæc porrò Probatio ex Hist. Eccles. infer. luculentius recurret.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino in genere.

Probatur II. ex Concilio Tridentino sess. 4. decreto de Canonicis Scripturis, ubi *Ecclesia Romana legitimè congregata in Spiritu S. hoc sibi perpetuo ante oculos proponens ut sublatis erroribus puritas Evangelii conservetur: quod promissum ante per Prophetas in Scripturis. S. D. Noster JESUS Christus proprio ore primum promulgavit: deinde per suos Apostolos; tanquam fontem omnis, & salutaris veritatis & morum disciplinæ omni Creaturæ prædicari jussit. Perspiciensque hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerint; Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam Novi Testamenti: cùm utriusque unus DEUS sit autor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, & continua successione in Ecclesia conservatas pari pietatis affectu & reverentia suscipit & vene-*

Veneratur. Tum poſtquam Sacrorum librorum Indicem poſuiſſet ſubjicit: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt & in veteri vulgata Latina editione habentur pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens ac prudens contempſerit, anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa Synodus poſt jactum fidei Confeſſionis fundamentum ſit progreſſura, & quibus potiſſimum teſtimoniis & præſidiis in confirmandis dogmatibus & inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit uſura.*

Ex quo Decreto patet Eccleſiam Romanam in dicto Concilio Veritates fidei proponendas Chriſti fidelibus ſuſcepiſſe non alio ordine ac viâ, quàm hâc, quæ hic demonſtratur. Admittit enim primum Principium, nempe revelationem DEI per Prophetas primum; deinde proprio ore Chriſti Domini promulgatam, tum & per Apoſtolos prædicatam. Admittit & ſecundum Eccleſiam Proponentem: ipſamque veritatem & diſciplinam à DEO revelatam, non aliis teſtimoniis, & præſidiis comprobat, quàm 1. Verbo DEI ſcripto. 2. Verbo DEI tradito. 3. Conciliorum autoritate. 4. Orthodoxorum Patrum ſententiis. 5. Continua Eccleſiæ conſenſione. Et hâc viâ & ratione omnes Fidei ac morum veritates in eodem Concilio declaravit & propoſuit fidelibus. Non quòd in omnibus ſemper adhibuerit omnia & ſingula 5. argumenta; neque enim id omnino neceſſarium erat, ſed quia aliquæ veritates præter S. Scripturam etiam ex traditione Apoſtolica, aliquæ etiam ex Conciliis, aliæ etiam ex Sanctorum Patrum doctrina, aliæ denique etiam ex unanimi ac perpetuo Eccleſiarum conſenſu eidem conſtiterint; id quod legenti hoc Concilium patet.

Probatur 3. ex eodem in particulari, inductione specialium Veritatum fidei.

Probatur 3. Inductione particularium veritatum, quas Eccleſia Romana in Concilio Tridentino univerſam Eccleſiam repræſentans pro illo tempore Diſſidii Proteſtantium, hâc viâ Regiâ à Majoribus acceptâ propoſuit.

1. De ipſis Canonicis Scripturis.

I. Hoc ipſum decretum *de Canonicis Scripturis*, quod immediatè adduximus, in quo Catalogus Sacrorum Canonicorum Librorum recenſetur, illud Concilium non aliis argumentis comprobat. Nam inprimis quidem cùm hoc decretum ex ipſiſmet Sacris literis probare haud potuiſſet: neque enim ipſi Scripturæ Libri de ſe ipſis teſtantur, an & quinam ſint Canonici & autographi, uti conſtat: recurrit Concilium ad Concilia vetera, & Sanctorum Patrum ſententiam Eccleſiæque unanimem ac perpetuum conſenſum.

De quo etiam testatur Sfortia Pallavicinus in Historia Concil. Trid. p. 1. L. 6. c. 11. m. p. 573. *Ad disertè*, inquit *comprobanda ea volumina, quæ Canonica censerent, invitati Patres exemplo & Canone postremo Apostolorum, ac Trullano Concilio, in quo illorum pleraque recensentur & Laodiceno eadem planè connumerante, ac tertio Carthaginense, quod Libros Judithæ, Tobiæ, & Apocalypsis inter Divinos agnoscit. Consimilem etiam Syllabum fuisse confectum à SS. Anastasio, & Gregorio Nazianzeno, à quarta Synodo Toletana, ab Innocentio ac Gelasio Romanis Pontificibus ac denique à Concilio Florentino.* Ubi Concilio pro potissimo argumento Catalogi Librorum enumeratorum Canonicorum fuit, & *Sanctorum Patrum consensus, & Conciliorum decreta*: ex quibus fluebat tertium argumentum, *Unanimis consensus Ecclesiæ*: in quo enim SS. Patres & Concilia conveniunt, extra dubium est, quòd & universa fidelium consentiat Ecclesia.

2. De Peccato Originali.

II. Sessione V. latum est, *Decretum de peccato originali*: quo Concilium confitetur *Primum hominem Adam post transgressionem mandati, statim Sanctitatem & Justitiam primam amisisse &c.* 2. *Adami prævaricationem non solum illi soli, sed etiam ejus propagini nocuisse, in illumque peccatum transfudisse.* 3. *Hoc peccatum Adæ origine & propagatione unum, non imitatione transfusum omnibus, unicuique proprium inesse, nec per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium, sed solùm per meritum unius mediatoris Domini Nostri Jesu Christi in Baptismo tolli.* 4. *Parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos, etiamsi fuerint à Baptizatis parentibus orti &c.* 5. *Per Jesu Christi Domini Nostri gratiam in Baptismate collatam reatum originalis peccati remitti, quin tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet* &c. Eodemque decreto fulmine Anathematis ferit contrarium sentientes.

Has igitur veritates Ecclesia Catholica Romana in illo Concilio non aliter proponit, quàm prædictis argumentis, & mediis probando verè esse à Deo revelatas, adeoque credendas. Ait enim ad initium Decreti. *Sacro Sancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes & nutantes confirmandos accedere volentes Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium & consensum secuta hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur, ac declarat*, &c.

III. Ses-

III. Sessione VI. legimus *Decretum de Justificatione* in quo profitetur Concilium, quòd *exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque Doctrinam ipsius Justificationis, quam sol Justitiæ Christus Jesus fidei nostræ autor & consumator docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritu S. suggerente perpetuo retinuit.* Ubi declarat quibus argumentis hanc doctrinam de Justificatione confirmare velit, nimirum 1. *ipsius Christi Domini in S. Literis Novi Testamenti Verbis.* 2. *Traditione Apostolorum,* 3. *Ecclesiæ Catholicæ perpetuo sensu.* 3. De Justificatione.

IV. Sessione VII. *Decretum de Sacramentis* statuendo in Procœmium idem fatetur Concilium, quòd *Sanctarum Scripturarum Doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum, & Patrum consensui inhærendo hos præsentes Canones statuendos & decernendos censuerit.* 4. De Sacramentis.

V. Sessione XIII. Decreto de *SS. Eucharistiæ Sacramento,* testatur quòd *eadem sacrosancta Synodus, sanam & sinceram illam, de Venerabili hoc & divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradat, quam semper Catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino Nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem indies suggerente edocta retinuit, & ad finem usque seculi conservabit.* Quibus verbis implicitè complectitur omnia illa quinque argumenta, nimirum S. Scripturam, Traditiones Apostolorum, Conciliorum & SS. Patrum doctrinam, consensum denique perpetuum Ecclesiæ. 5. De SS. Eucharistiæ Sacramento.

Ubi etiam Cap. 1. de *reali Præsentia Domini nostri Jesu Christi, in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento credenda constantissimè,* adjicit rationem. *Ita enim Majores Nostri, omnes quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt apertissimè professi sunt,* indicatque *Verba Christi D. ab Evangelistis commemorata, à D. Paulo postea repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium esse ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri.* Et c. 3. ait: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem Verum D. N. corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, unà cum ipsius animà & divinitate existere,* &c. Quasi diceret sufficiens est argumentum ad hanc, quam ibi proponit veritatem, perpetua Ecclesiæ fides, & consensus fidelium. De reali in illo præsentia Christi D.

 Item

De Transubstantiatione. Item Cap. IV. de *Transubstantiatione: Quoniam Christus Redemptor Noster Corpus suum, quod sub specie panis offerebat verè esse dixit* Luc. 22. Joan. 6. 1 Corinth. 11. *Ideo persuasum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat per consecrationem panis & vini consecrationem fieri totius substantiæ* &c.

De Cultu SSmi Latriæ. Item Cap. V. asserit *Cultum Latriæ & venerationem huic Sanctissimo exhibendam pro more in Catholica Ecclesia semper recepto.*

De consuetudine illud conservandi in Sacrario & deportando ad infirmos. Cap. VI. quoque ait: *Consuetudo asservandi in Sacrario S. Eucharistiam, adeò antiqua est, ut eam seculum etiam Niceni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam S. Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquàm quòd cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tum in Conciliis præceptum* (quæ etiam Concilia ibi enumerantur) *invenitur, & vetustissimo Ecclesiæ Catholicæ more est observatum. Quare eundem omnino salutarem & necessarium retinendum statuit.* Illis nimirum argumentis adducta Ecclesia more Conciliorum præcepto firmato.

De consuetudine ante Communionem confitendi peccata. Cap. VII. *Ecclesiasticam Consuetudinem ante Communionem confitendi peccata servandam perpetuo decernit.* adeoque peccata esse confitenda ante Communionem probat Ecclesiæ consuetudine.

De usu ejusdem. Cap. VIII. *porro de usu ejusdem admirabilis Sacramenti rectè* ait & *sapienter, Patres Nostri tres Rationes hoc tantum Sacramentum accipiendi distinxerunt* &c. In *Sacramentali quoque sumptione semper in Ecclesia Dei morem fuisse, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent.*

6. De Confessione Sacramentali. VI. Seff. XIV. C. V. *Confessionem Sanctam Sacramentalem* probat Tridentinum, ex eò quòd *à Sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimique consensu, utpote qua ab initio Sancta Ecclesia usa est, & modò etiam utitur, fuerit commendata.* adeoque tria adhibet argumenta 1 *Concilia* Concil. Cabil. cap. 33. Secundum. *Sanctorum Patrum Consensum.* 3. *Ecclesiæ constantem & perpetuum usum & praxim.*

De Casuum reservatione. Cap. VII. *De Casuum reservatione.* Etiam hanc probat haberi à *Sanctissimis Patribus*: citaturque Cyprian. in Epist. quæ incipit *Ingemiscere.* & in Epist. cujus initium. *Miror* Orig. hom. 10. in Gen. &c.

De satisfactionis necessitate & fructu. Cap. VIII. De *satisfactionis necessitate & fructu. Et hanc satisfactionem à Patribus Nostris Christiano populo perpetuo tempore com-*

commendatam ait. Deinde hoc adversariorum Dogma *culpam à Domino nunquam remitti, quin Universa etiam pœna condonetur, falsum omnino esse, & à Verbo Dei alienum;* comprobat ex S. Scriptura, præter Traditionem *perspicua enim,* ait, *& illustria in S. Literis exempla reperiuntur, quibus propter divinam traditionem hic error, quàm manifestissimè revincitur.* Exempla autem hæc sunt. Gen. 3. 2 Reg. 12. Num. 12. & 20.

Ibidem *Claves Sacerdotum,* ait, non *ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt & docent.* De Clavibus Sacerdotalibus.

VII. Eadem Sessio XIV. *Doctrinam de Sacramento extremæ unctionis* comprobat primò argumento dicto ex S. Scriptura Cap. 1. *Instituta,* ait, *est autem hæc unctio Infirmorum tanquam verè & propriè Sacramentum Novi Testamenti à Christo Domino Nostro apud Marcum quidem insinuatum* (cap. 6.) *Per Jacobum autem Apostolum D. N. fratrem fidelibus commendatum & promulgatum* (cap. 2.) Secundo *Apostolica Traditione.* addit enim *quibus verbis,* ut ex *Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti.* 7. De Sacramento Extremæ unctionis.

VIII. Sess. XXI. Doctrinam de *communione sub utraque specie & parvulorum* statuens, ait Cap. 1. se *ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem secutam declarare ac docere nullo Divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum, sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat:* idque etiam probat ex S. Scriptura. 8. De Communione sub utraque specie.

Cap. 2. Declarat *potestatem hanc perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum Dispensatione salva illorum substantia ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum Venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* idque probat ex Sancta Scriptura.

IX. Sess. XXII. Doctrinam de *Sacrificio Missæ proponens.* cap. 1. De *Institutione Sacrosancti Missæ Sacrificii,* agit, eamque probat ex S. Scriptura, inter alia ex Matt. 26. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* idque confirmat ex eo, quia *per hæc verba semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit Sacrificium Missæ.* En argumentum 5. Consensus perpetuus Ecclesiæ. 9. De Sacrificio Missæ.

Cap. V. De *solennibus Missæ Sacrificii ceremoniis.* Eas comprobat *ex Apostolica disciplina & Traditione.*

Cap. IX. *Prolegomenon Canonum sequentium*, præfigens, ait, *Quia verò adversus veterem hanc in Sacrosancto Evangelio Apostolorum Traditionibus, Sanctorumque Patrum Doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi errores disseminati sunt* &c. En hic agnoscit fidem de SS. Eucharistiæ Sacramento fundatam in tribus argumentis 1. *in Sacrosancto Evangelio.* 2. *Apostolorum Traditionibus.* 3. *Sanctorumque Patrum doctrinâ.*

10. De Institutione Sacerdotii Novæ Legis.

X. Seff. XXIII. Cap. 1. De *Institutione Sacerdotii Novæ Legis* testatur, quòd *potestatem consecrandi, offerendi & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, nec non & peccata dimittendi & retinendi traditam Apostolis & eorum successoribus accepisset à Christo, id quod S. Literæ ostendunt & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.* En duo prima argumenta.

Cap. II. de *Septem Ordinibus.* Eosdem & *Sacris Literis & Ecclesiæ usu, & Sanctorum Patrum & Conciliorum autoritate* comprobat.

Cap. III. *Ordinem verè esse Sacramentum*, similiter *S. Scripturæ testimonio, Apostolica traditione & Patrum unanimi consensu perspicuum esse* fatetur.

11. De Sacramento.

XI. Seffione XXIV. Doctrinam de *Sacramento Matrimonii* confirmat Tridentinum iisdem argumentis; quando ait: *Matrimonium meritò inter Novæ Legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres Nostri, Concilia, & Universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt*, paulò ante autem & ex S. Literis idem comprobavit.

12. De Purgatorio.

XII. Seffione XXV. *Decretum de Purgatorio*, eisdem argumentis infundat. Cùm *Catholica*, ait, *Ecclesia Spiritu S. edocta ex S. Literis, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Conciliis, & novissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili Sacrificio altaris juvari, præcipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam à Sanctis Patribus & Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, studeant.*

13. De Invocatione Veneratione & reliquiis Sanctorum.

XIII. Eadem Seffione de *Invocatione & Veneratione & reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus. Mandat S. Synodus omnibus Episcopis & cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut*

juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum, à primævis Christianæ religionis receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum decreta, ut de prædictis fideles diligenter instruant &c.

XIV. Eadem Sessione *Decretum de Indulgentiis* stabilit *usu antiquissimorum temporum, tum & Conciliorum autoritate.* 14. De Indulgentiis.

Ibidem. *de Delectu ciborum, jejuniis & diebus festis ea omnia servanda præcipit, quæ tam in hoc Concilio, quam in aliis Oecumenicis statuta sunt.* De delectu ciborum, jejuniis, diebus Festis.

Ex his igitur patet 1. Ecclesiam Romanam semper in probandis & proponendis veritatibus fidei recurrisse ac sigillatim in Concilio Tridentino ad prædicta argumenta probantia aliquam veritatem fidei verè à Deo revelatam esse, adeoque credendam omnibus Christi fidelibus.

Patet secundo quòd cùm sola Ecclesia Romana hanc viam quam Regiam dicimus proponendi veritates fidei, teneat; illam quoque solam esse Ecclesiam Proponentem veritates fidei verè à Deo revelatas, per modum Regulæ autoritatis infallibilis.

PROPOSITIO III.

Obices ab hac Regia Via removentur.

PEr Obices hos, Viæ Regiæ intelligo objectiones seu oppositiones Dissidentium Neo-Evangelicorum, quarum hic aliquæ examinandæ, & velut de via removendæ, ne fortè quispiam hac via incedens ad lapidem aut petram scandali offendat pedem suum. Obices ab hac Regia Via removentur.

I. *Opponi* potest contra alterum quod statuimus Principium Fidei; quia si Ecclesia est alterum principium, illud primum est insufficiens, vel inferioris autoritatis, quia ultimò in hoc resolvetur, Veritati enim, seu Verbo Dei revelato credo, quia mihi Ecclesia proponit esse revelatum? adeoque ratio formalis, vel effectiva fidei nostræ est Ecclesia proponens: per consequens insufficiens, vel inferioris autoritatis est illud primum principium. Prima oppositio contra secundum fidei Principium: quia alias Primum esset insufficiens vel inferioris autoritatis.

Respondimus ad id inprimis Scrutinii Veritatis fidei par. 2. p. 291 & seq. Responsum ad id Scrutinii Verit. fid. Par. 2.

Respondeant Secundo Doctissimi Valenburchii T. 1. Exam. III Cathol. Principii §. 6. Num. 41. ne ex nostro ingenio aliquid asserere videamur *De Ecclesia quæ proponit Verbum Dei, non est*, inquiunt Respon. detur 2. ex Valenburchiis.

inquiunt, *propositio Ecclesiæ ratio formalis, vel effectiva fidei nostræ: ratio enim formalis est sola Veritas Dei revelantis, ratio autem effectiva est Spiritus Sanctus mentem illuminans, fidemque generans: sed quia Verbum Dei per ministerium Ecclesiæ nobis innotescit, tanquam per medium à Deo ordinatum: (quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient sine prædicante) ejus propositio est dispositiva; non dominans fidei, sed cooperans nostræ infirmitati. Quocirca credimus Deo loquenti per Ecclesiam, quæ ejus instrumentum est, & ministra. Quo major est auctoritas Dei, eò major est auctoritas & dignitas ministerii. Quid enim majus quàm Deum per Ecclesiam nos docere? huic non acquiescere, Deo reluctari est ejusque ordinationi. Dei ergo ministra Ecclesia, & fidelium magistra; Legatione sibi à Deo commissa fungens, dum nos in credendis instruit, fidemque sufficienter proponit. Credimus Verbo Dei per Ecclesiam, ut per ministram fidam. Sed per Scripturam non crederemus, nisi Ecclesia nobis diceret esse Verba Dei, quæ in Scriptura continentur. Qui audierunt Verba Dei ab Apostolis, nonne illud acceperunt ab hominibus? Habuerunt illi immediatam revelationem, quæ Ecclesiæ post tempora Apostolorum non contingit. Sed quo ad nos, perinde est, sive Ecclesia nos doceat ex immediatâ, vel mediatâ revelatione; cùm certum sit assistentiam Spiritus Sancti ejus ministerio esse promissam.*

Licet objecta fidei sint varia (quæ in Scholis vocantur materialia) seu res creditæ multiplices; una tamen est ratio formalis fidei, quâ credimus ob auctoritatem Dei revelantis. Atque ideò auctoritas Ecclesiæ, Verbum Dei proponentis non est illud, in quod ultimatè resolvitur fides nostra, sed Auctoritas & Veritas Dei revelantis.

Requiritur ad probandam fidem Verbum Dei ab Ecclesia propositum: Nulla est fidei sufficiens probatio sine Verbo Dei, & de nullo Verbo Dei nobis sufficienter constat sine propositione Ecclesiæ: Per notitiam Ecclesiæ Verbum Dei fit evidenter credibile. Hæc requiruntur ad probationem fidei; hæc sufficiant. Nam gratia Spiritus S. interius moventis est necessaria, ut fidem amplectamur; non tamen ex ista gratiâ alteri probatur fidem esse suscipiendam. Insuper in rem nostram inquit inferius N. 85.

Testimonium Ecclesiæ subjicitur Verbo Dei, sicut præco Regi, sicut Legatus Principi, aut Regi. Nisi præco tanquam persona publica; nisi legatus tanquam Legatus habeat auctoritatem subordinatam, non audietur ut præco, non ut Legatus Principis vel Regis. Sic idem dicendum de Ecclesia. Ex

Ex his igitur patet, quod quamvis Ecclesia Catholica Proponens alterum sit fidei Principium, non inde sequitur primum nempe revelationem seu Verbum Dei esse insufficiens. Sufficiens enim est in suo genere, scilicet, tanquam ratio formalis motiva intrinseca, sed non tanquam ratio formalis extrinseca, instrumentalis ministra, habens se per modum applicantis illius ad Veritates fidei verè à Deo revelatas. Unde etiam patet illius primi Principii autoritatem nequidquam minui secundo Principio, quinimo ab hoc conservari, manuteneri, & palam manifestari. Sicut dum præco Regis, Legatus Principis autoritatem tuetur & præ se fert, non ideò illius major est, quam hujus.

Oppositio Secunda. Sequeretur quod Confessio fidei non esset eadem & invariata.

Opponi posset Secundo. Si Ecclesia Catholica Proponens esset alterum Principium fidei per Concilium, v. g. sequeretur, quod Confessio fidei non esset eadem & invariata: quia in quovis Concilio fierent novæ definitiones & decreta seu propositiones articulorum fidei. Unde consequitur quòd per Concilium Tridentinum alia fidei Confessio sit definita & proposita, quam quæ fuerit ante: quod est omninò absurdum & inconveniens, dicente Tertulliano de Præscript. c. 6. *Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de suo induxerit. Apostolos D. habemus Autores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod aliquis de suo induceret elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt.* Similia habet Hilarius Lib. ad. Const. Aug.

Respondetur 1. Implicitè ante credita in Conciliis post explicitè proponuntur.

Respondetur 1. Quòd in Conciliis Ecclesia nova dogmata minimè cudat, sed quæ erant implicitè revelata & credita à fidelibus; obortis quæstionibus & controversiis, explicitè in Conciliis sunt proposita credenda fidelibus; id quòd ex historiis & relationibus Conciliorum manifestè patet. Inter alia Concil. Chalced. in serm. ad Martianum inquit. *Et necesse est illos* (scl. hæreticos) *veritatis inventione convertere & commentis eorum opponere refutationem, non ut novum ad pietatem quasi fidei aliquid desit semper exquirentes, sed ut contra ea, quæ ab illis innovata sunt excogitantes quæ salubria sunt.* Unde & Ruffinus in Expos. Symb. ait *addita quædam videntur per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi*, & D. Augustinus Tract. 97. in Joan. de Niceno Concil. inquit, *adversus impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patri homousion* (in Concil. Niceno) *condiderunt, sed non rem novam tali nomine significârunt.* Hoc enim significatur per homousion, quod Ego & Pater sumus unum. Quâ de re fusius discurrentem Vin-

centium Lirinensem haud abs re fuerit audire adverſ. prof. cap. 32. *Chriſti*, inquit, *Eccleſia, ſedula ac cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt? niſi ut quod ante ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur: quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur: quod antea ſecurius colebatur, hoc idem ſollicitius excoleretur. Hoc inquam ſemper neque quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut quod prius à majoribus ſolâ traditione ſuſceperat, hoc inde poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret, magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, & novum fidei ſenſum novæ appellationis proprietate ſignando.* Unde per Concilia diverſa non variatur Confeſſio fidei ſecundum ſe, & in ſua ſubſtantia, etſi poſſit dici fieri aliquam mutationem in accidentibus & circumſtantiis: adeoque neque in Trident. Concilio alia Confeſſio fidei definita, quam quæ fuerat ante quoad ſubſtantiam. Tertulliani teſtimonium pro nobis eſt, quia de facto Concilium Trident. non ex ſuo arbitrio quidquam definivit, ſed acceptam à Chriſto per Apoſtolos doctrinam fidelibus explicavit, è ſenſu S. Scripturæ, Traditionum SS. Patrum Conciliorum, & unanimis conſenſus Eccleſiarum? ut probatum eſt.

Reſpondetur 2. ex Valenburchiis.

„ Reſpondeant 2. Illuminatiſſimi Valenburchii loco cit. §. 8. Fi- „ deles ante & poſt Concilium Tridentinum habuiſſe eandem fidem. „ Etenim, in Conciliis, inquiunt, Generalibus frequenter factæ „ ſunt novæ definitiones ſeu propoſitiones articulorum fidei, v. g. Ba- „ ptiſmum extra Eccleſiam collatum eſſe validum, nec iterandum; „ de quo S. Auguſtinus, *cùm inter Epiſcopos anterioris ætatis, quam* „ *eſſe inciperet pars Donati, iſta quæſtio fluctuaret, & varias haberet inter ſe collegarum, ſalvâ unitate ſententias*, hoc *per univerſam Catholicam* (Conc. Nicen. can. 8.) *quæ toto orbe diffunditur obſervari placuit, quod tenemus* Lib. 1. cont. Creſcen. cap. 32. Tomo 7. Eccleſiæ propoſitio non facit ut aliquid incipiat eſſe revelatum à Deo: ſed facit ut omnibus & ſingulis poſſit conſtare articulum v. g. de validitate Baptiſmi extra Eccleſiam collati, eſſe à Deo revelatum. Cumque poſt eam definitionem omnes Epiſcopi & Doctores crederent, eum articulum eſſe à Deo revelatum; non habuerunt diverſam fidem ab iis, qui ante definitionem ſeu propoſitio-

tionem Ecclesiæ contrariam sententiam, salvâ unitate defendebant. „
Quia ratio formalis fidei, auctoritas Dei revelantis, ab utrisque „
æqualiter tenebatur, ut una & indivisibilis, eamque statuebant am- „
plectendam juxta propositionem Ecclesiæ, diversitate sententiarum, „
manente circa solum materiale revelati; quia formale revelati tali „
materiali convenire necdum constabat. Si post definitionem Ecclesiæ „
esset diversitas sententiarum, circa articulum ab Ecclesia proposi- „
tum, ea diversitas non esset tantum circa materiale fidei, sed etiam „
circa formale: quia constaret de formali revelatione, & negare- „
tur Verbum Dei ab Ecclesia propositum, essetque diversa fides. „

Quocirca illi, qui ante definitionem Concilii Nicæni tenebant „
Baptismum apud hæreticos collatum esse validum, & qui salva uni- „
tate contra veram sententiam disputabant, semper illud tenuerunt, à „
Verbo Dei, ab Ecclesia proposito non esse recedendum. Quo po- „
sito licet aliqui veritatem non tuerentur, non tamen credebant in- „
validitatem baptismi, ut articulum fidei Catholicæ: credebant au- „
tem veritati in isto generali fidei principio, & animus erat præpa- „
ratione Catholicus. „

Hinc S. Augustinus ad Vincentium Victorem scribens, cùm dixisset *eum non nulla posuisse & affirmasse, quæ cum verâ doctrinâ conciliari non possent*, subjicit. *Absit ut te arbitreris hæc opinando à fide Catholica recessisse, quamvis ea fidei adversa sint Catholicæ. Si coram Deo cujus in nullius corde oculus fallitur veraciter te dixisse resipiscis (forte reminisceris) non te tibi ipsi esse credulum probari ea quæ dixeris posse, ac studere te semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur, eò quòd sit tibi cordi proprio damnato judicio meliora magis, & quæ sint veriora sectari. Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipsa est correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus.* De Orig. An. Lib. 3. c. 15. Eodem modo se res habet cum illis qui ante definitionem Concilii Tridentini de nonnullis quæstionibus salva unitate disputabant, licèt enim circa materiale alicujus revelati non una esset omnium sententia, erat tamen una circa formale omnium revelatorum, adeoque una fides: quia omnes in hoc formali Principio fidei conveniebant. Quidquid Ecclesia Catholica docet, & proponit esse revelatum à Deo, verè revelatum est, & credendum ut tale; vi cujus errantium animus erat correctionis præmeditatione Catholicus. Nullus igitur hæreat in varietate sententiarum, quæ ante Concil. Trident. inter Catholicos reperiebatur. Si enim ma-

ximi viri nihilominus fuerunt Catholici, dicamus Adversariis nostris cum S. August. *Venite ad Cathedram concordantem, quam Cyprianus non deseruit fluctuantem* Lib. 2. de Bapt. c. 15.

Oppositio 3. Quia hic Proponens esset Papa, quod non potest dici.

Opponi posset tertio. Si quæratur quænam sit hæc Ecclesia Proponens? Respondetur esse Ecclesiam Catholicam: si porro quæratur, quænam sit hæc Ecclesia Catholica? Respondetur esse Ecclesiam Romanam. Si insuper quæratur, quo modo hæc Ecclesia Romana, seu per quem sit proponens? Respondetur per summum Pontificem, qui eidem præsidet, qui ejusdem Pastor, Rector & caput. Atque adeò ultimò tandem in Romana Ecclesia Proponens asseritur esse Papa Romanus, quod tamen dici non potest. 1. Quia hoc pacto non jam Ecclesia, sed unus homo Papa Romanus esset Proponens. 2. Quia hic Proponens non potest esse per modum Regulæ infallibilis autoritatis, cum sit homo; omnis enim homo fallibilis & mendax. Tertio. Quia si dicatur esse infallibilis cum Concilio, & hoc est incertum, & insuper aliqui dicunt Concilium esse supra Papam, alii contra. 4. Quia si Papa esset ille Proponens sequeretur de illo verificari ea, quæ 2 Thess. 2. 4. *de homine iniquitatis & filio perditionis* S. Paulus prophetat quia in Ecclesia *sedet & ostendit se tanquam sit Deus*, estque supra ipsum Verbum Dei, quia illud pro suo arbitratu exponit, proponitque credendum fidelibus &c.

Respondetur. Rectè per Ecclesiam Catholicam intelligimus Ecclesiam Romanam; huic enim soli competit ratio Catholicæ, id quod pluribus demonstravimus Scrutinii veritatis Parte 2. Eandem dicimus esse Proponentem veritatem fidei, non quidem secundùm omnia & singula sua individua spectatam, sed secundùm caput, & Pastorem supremum, qui eidem præsidet. Id enim bonus ordo Ecclesiæ à Christo D. institutus requirit. Cùm enim Christus D. ipse dum vixit in terris hanc Proponentis primariam & absolutam autoritatem exercuerit; ascendens verò in Cœlum Vicariam & sudordinatam D. Petro communicavit, ad illum solum dicens: *Pasce oves meas; pasce agnos meos*. Et quia insuper Ecclesiam suam semper usque ad finem mundi durare voluit, eandem etiam Petri successorique contulisse non dubitandum; qui cum in Romana sede ad præsentem usque Innocentium XI. sedeant: rectè Romanæ Ecclesiæ Præses & summus Rector dicitur Proponens veritates fidei verè à Deo revelatas, quod ipsum non sua propria privata autoritate facit, sed publica, id est: si proponat quidpiam è sensu &

con-

consensu Unanimi fidelium cum ejusdem sententia conspirante, vel cum Concilio generali, quod est ipsa Ecclesia repræsentativè, eritque sic spectatus Papa cum Ecclesia ultimum resolutorium fidei non in genere & linea rationis formalis intrinsecæ seu quatenus ultimum resolutorium importat rationem formalem intrinsecam: hoc enim est ut dictum supra, sola revelatio, dictio, seu Verbum Dei veritatis Primæ propter quod creditur veritati revelatæ; sed in genere & linea rationis motivæ extrinsecæ scil. proponentis; neque enim datur ultrà alius proponens, ut sup. probatum, & mox probabitur.

Unde etiam patet, quid respondendum sit ad illas 4. Illationes. Nam ad 1. dico, quòd adhuc Ecclesia habebit rationem proponentis, quia non unus homo Papa qua privata persona, sed qua publica, scilicet cum Concilio generali & Concilium generale cum Papa, aut extra Concilium generale cum universa Ecclesia conspirans, est proponens.

Ad secundum dico: Papam sic spectatum, ut dictum, fore infallibilis autoritatis; quia sic spectato convenit assistentia S. Spiritus, *Spiritus veritatis* à Christo D. Ecclesiæ appromissa.

Ad tertium. Certum id omnino esse probatur à Catholicis, quod Papa cum Concilio errare non possit, neque ab hac certitudine ullis argumentis dimoventur ab Adversariis. An verò Papa sit supra Concilium, vel Concilium supra Papam quæstiones sunt Scholæ non fidei, adeoque non hujus loci, nec ad salutem spectantes; sufficit quod in hoc Catholici conveniamus, Papam cum Concilio generali, & Concilium generale cum Papa, Papam item extra Concilium generale cum tota aut plurima parte Ecclesiæ & hanc cum Papa, nullo modo errare posse, & hoc sensu Papam esse Proponentem veritatem fidei infallibilis autoritatis. Fusius hac de quæstione tractat Auctor Eugenius Lombardus SS. Theol. & J. V. D. Libro cui Titulus *Regale Sacerdotii? Romano Pontifici assertum* An. 1684. quo curiosum Lectorem remitto. Tractat quoque ea de re Gallicus Auctor Anonymus. *Remarques d'un Theologien sur le Traité Historique de l'établissement &c. de l'Eglise du Rome en composé par Monf. Maimbourg.*

Ad quartum dico: Non posse de Papa sicut descriptum spectato, dici, quòd in illum conveniat Prophetia D. Pauli, neque enim se ostendit tanquam Deum, neque pro suo arbitratu privato, sed è quinque illis supra positis fontibus argumentatur demonstrando

proponendoque aliquid credendum omnibus Christi-fidelibus. Porro ut hoc ipsum clarùs fiat adferemus aliqua non modicam lucem adferentia nostræ huic manuductioni hâc Regiâ viâ.

PROPOSITIO IV.

Quid per Ecclesiam Romanam Proponentem Veritates fidei intelligatur.

Ecclesia Romana Proponens Veritates fidei, est Ecclesiæ Pastor summus Pontifex cum Concilio generali Veritates fidei vel morum decernens: vel quando hoc non adest, idem Pontifex seu Pastor Supremus unanimi sensu & consensu cum cæteris subordinatis Ecclesiarum Pastoribus, totoque vel plurimo cœtu fidelium ceu ovibus in veritatibus fidei credendis, in vel extra Concilia particularia, conspirans.

Explicatur claritatis gratiâ Propositio.

Imo Ecclesiæ Pastor Summus Pontifex cum Concilio generali.

IN duplici statu potest considerari Ecclesia Romana Proponens Veritates fidei verè à Deo revelatas, adeoque credendas. Primò ita ut Ecclesiæ Pastor Summus Pontifex obortâ aliquâ quæstione fidei vel morum, in qua fideles inter se discrepent, an videlicet sit pro veritate fidei vel morum à Deo revelata habenda, credenda, tenendave, nec ne; hanc Quæstionem cum Concilio generali decernat, definiatque. Atqui sic. Quidquid Summus Pontifex decreverit, id indubie Ecclesia Romana proponit tanquam Veritatem fidei, verè à Deo revelatam & credendam. Id quoque universi fideles credant ac teneant tanquam veritatem fidei revelatam necesse est; ita ut quisquis eidem pertinaciter repugnet pro hæretico, proprio judicio condemnato, sit reputandus.

Secundo. Idem Summus Pontifex unanimi consensu cum cæteris subordinatis Ecclesiarum Pastoribus, ei que subjectis ovibus fidelium cœtu conspirans.

In Secundo verò statu considerari potest Ecclesia Romana Proponens Veritates fidei à Deo verè revelatas extra Concilium generale, tunc scilicet, quando inter fideles abortâ aliquâ quæstione controversâ in fide vel moribus seu praxi summus Ecclesiæ Pastor unà cum cæteris subordinatis particularium Ecclesiarum Pastoribus in Conciliis particularibus, vel extra hæc cum omnibus vel plurimis fidelibus velit ovibus pro affirmativa vel negativa parte controversiæ unanimi consensu stent, atque conspirent: illud certè etiam habendum est pro veritate, dogmate seu articulo fidei verè à Deo revelato, adeoque ab omnibus Christi fidelibus tenendo, credendovè: cui quisquis pertinaciter repugnaverit pro heterodoxo si non planè hæretico, ut proprio judicio inchoativè saltem condemnato, sit habendus. Majoris claritatis gratiâ partiemur

hanc

hanc Propos. in tres Assertiones. Quoad 1 Partem Propos. sit. Assertio Catholica.

1 *Proponens Ecclesia veritates fidei non est solum generale Concilium sine summo Pontifice*, quod ipsum.

Patet 1. Quia Concilium generale est repræsentativè totius Ecclesiæ visibilis Corpus morale, sicut autem corpus physicum, vivum non est sine capite vivo, ita nec corpus Ecclesiæ morale, Concilium: ideoque necesse est, ut omne Concilium generale non possit esse legitimum sine visibili Ecclesiæ capite, ac perconsequens solum Concilium sine summo Pontifice non potest esse & dici Ecclesia Proponens Veritates fidei à Deo revelatas.

Assertio 1. Proponens Ecclesia veritates fidei non est solum generale Concilium sine Summo Pontifice.

Probatur 1. Quia Concilium repræsentat Corpus Ecclesiæ, quod non potest esse sine capite visibili.

Patet Secundo ex eo, quia nullum unquam Concilium generale pro legitimo habitum, nisi ex sententia Romani Pontificis celebratum: idque inprimis.

Constat ex Canone Apostolico 1. *Non debent præter Sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Hunc autem Canonem esse Apostolicum probat Bellarm de Conciliis Lib. 1. c. 12. ex Marcello Papa Epist. ad Episc. Antiochenæ Provinciæ. Eundem renovavit Concil. Nicenum 1 ut. testatur Synodus Alexandrina in Epist. ad Felicem & alii quos ibidem citat Bellarm. ibidem respondet ad Objectiones Calvini & Magdeburgensium.

Probatur 2. Quia nullum Concilium generale est legitimum nisi ex sententia Romani Pontificis celebratum. Idque constat 1 ex Niceno 1 Concilio generali.

Item Can. 2. *Omnes Episcopi liberè Apostolicam appellent sedem* &c. *cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorumque Successorum, atque Canonum autoritas reservavit* &c. Et Can. 3. *de causis Episcoporum, nihil definiri inconsulto Romano Pontifice permissum: cum B. Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino, Quæcunque ligaverit* &c. Hos uti & primum Canonem ex transmissis Romam Sylvestro Canonibus Concilii Niceni Julius proposuit. Cum illos Ariani in Oriente dominantes paucis exceptis combussissent. Ut Athanasius in Epist. ad Marcum Papam queritur.

Quorum Canonum sensum Concil. Chalcedonense disertius exponit Act. 16. his verbis. *Trecentorum*, inquit, *decem & 8 Sanctorum PP. Canon. 6. quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum*: moxque eundem Canonem recitat.

Idem Ex Synodo Alexandrina sub Athanasio collecta scribunt Episcopi Ægyptii &c. Epist. ad Felicem 11 Pontif. *Vestræ Apostolicæ sedis imploramus auxilium, quia ut credimus non despexit Deus*

preces

preces cum lachrymis ſibi oblatas ſervorum ſuorum; ſed ob id Vos Prædeceſſoreſque Veſtros Apoſtolicos videlicet Præſules in ſummitate arcis conſtituit, omniumque Eccleſiarum illis curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis noſque tuentes, quibus omnium Epiſcoporum judicium eſt commiſſum, liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis. Nam ſcimus in Nicena magna Synodo 318 Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum. Non debere abſque Romani Pontificis Sententia Concilia celebrari nec Epiſcopos damnari. Licet hæc & alia quàm plurima ab hæreticis, qui nos quotidie infeſtant ſint Synodica Capitula incenſa, nobiſque ſublata &c. Similiter & à prædictis Patribus eſt definitum conſonanter, ut ſi quiſquam Epiſcoporum, aut Metropolitanorum Comprovinciales, vel Judices ſuſpectos habuerit, Veſtram Sanctam Romanam interpellet ſedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi & ſolvendi, ſpeciali eſt Privilegio ſuper alios conceſſa. Non igitur ſolum Concilium abſque Pontifice poterat veritates fidei proponere.

Id ipſum Confirmatur ex Actis Imperatoris & aliorum in Synodo Nicena. Nam ob delatam Epiſcopis prærogativam, noluit aſſidere, niſi in humiliore ſede, quam eſſet Epiſcoporum ut teſtatur Theodoretus Lib. 1. c. 7. hiſt. & Euſebius Lib. 3. de vita Conſtant. Quin & ipſe profeſſus eſt ſe debere ab Epiſcopis judicari, neque adeſſe ut præpoſitum, ſed illis ſubjectum ut ſcribit Ruffinus Lib. 10. c. 2. In hac autem Synodo fuiſſe Præſides Legatos Pontificis Epiſcopum Oſium, Vitum & Vincentium Presbyteros, ex ipſa eorum ſubſcriptione conſtat, in qua primus Oſius. Idque confirmat Cedrenus in Comp. hiſt. & Photius in Lib. de 7 Synodis, qui dicunt Sylveſtrum Papam, quo dirigente Concilium eſt celebratum per ſuos Legatos autoritatem Synodo contuliſſe. Ipſe autem Imperator (ut Baſilius Imper. in fine 8 Synodi memorat,) poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit. Hæc ipſa ita ſe habere nec Magdeburgenſes Cent. 4. c. 9. inficiantur.

Idem inſuper Confirmatur tam ex Romano Concilio paulò ante Conſtantino præſente celebrato quàm Sardicenſi, ubi eadem diſertè confirmantur. Denique idem manifeſtum fit ex hiſtoria Eccleſiaſtica apud Socratem, Sozomenum, & Ammianum, quos fusè alii citant.

In eodem Concilio cùm Arius damnatus fuiſſet Sylveſter Papa definitiones Patrum ſuo ſuffragio approbavit & confirmavit in Concil. Romano. *Meum*, inquit, *Chirographum & diſcipulorum meorum*

meorum in Vestro Sancto Concilio quidquid constituistis una parem dare consensum. Tomo. 1. Concil.

Constat Secundo. ex Concilio generali 2. Constantinopolitano; ad quod Imperator miserat literas Damasi Romani Pontificis, quibus ad Concilium Romæ celebrandum invitaverat Episcopos Orientales, qui Constantinopoli convenerant; ut eo modo Romæ celebraretur Concilium plenissimum, sed cùm graves causæ quas Orientales exposuêre Damaso, id non paterentur, accepit Damasus excusationem eorum, animis proinde, atque sententiis cum Damaso communicavit; & ille ad hunc tanquam ad caput suum & Patrem, hic ad ipsos tanquam ad membra filiosque (ut literæ mutuæ habent) perscripsit, de quo Theodoretus Lib. 5. c. 9. Ubi inter alia Damasus eisdem his verbis respondet. *Quod debitam reverentiam Sedi Apostolicæ Vestra habeat Charitas Vobis filii carissimi præstatis plurimum.* &c.

II. ex 2. Concilio generali Constantinopolitano.

Constat tertio. ex Concilio generali 3. Ephesino. Ad quod cum Pontifex Cœlestinus Legatos suos qui præsiderent misisset, ut habet Evagr. L. 1. c. 4. Photius, Niceph. Prosper: unus ex Legatis Philippus hæc verba recitat memoriâ dignissimâ. *Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est Sanctum beatissimumque Petrum Apostolorum Principem, & caput, fideique columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à D. Jesu Christo Salvatore nostro, humanique generis redemptore Regni claves accepisse, solvendi atque ligandi potestate quam acceperat usum esse, nec non per successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse: Hujus itaque ordinarius Successor ac Vicarius Sanctus, beatissimusque Papa & Episcopus Cœlestinus nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc Synodum misit.*

III. ex Concilio 3. generali Ephesino.

Porro in eodem Concilio Cyrillo Episc. Alexandrino Vices præsidentiæ Pontificis collatas testatur Evagrius ibidem loco cit. *Episcopi*, inquit, *qui Ephesi convenerant Cyrillo locum Cœlestini Episcopatum antiquæ Romæ, (ut supra docui) gerentis obtinente accersunt Nestorium, hortanturque ut criminibus sibi objectis respondeat* &c. Deinde examinata illius doctrinâ sententiam damnationis protulêre, inter alias causas etiam Epistolam ejus allegando. *Cùm eam, inquiunt sensisse & prædicasse deprehenderimus tum Ecclesiæ Canonibus, tum Epistola sanctissimi, Patris nostri & Collegæ Cœlestini Episcopi Romanæ Ecclesiæ necessario compulsi.*

Deinde hæc ipsa Synodus ad Pontificem tanquam caput suum dedit

dit literas. In quibus hæc inter alia leguntur. *Quia verò necessitas exigebat, ut omnia quæ in hac Synodo acciderunt Sanctitati Tuæ declarentur &c. ut omnia quæ hic gesta sunt cognoscas, integros Actorum Commentarios misimus, & Synodi subscriptiones.*

Insuper ex eodem Concilio Cyrillus Alexandr. his verbis ad eundem Cœlestinum scribit. *Digneris quid sentias declarare; quo liquido nobis constet communicare ne nos oporteat cum Nestorio, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet & prædicat. Porro Tuæ integritatis mens, ac super hac re sententia, non modò piißimis, Deo devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus præcipuè per literas exponi debet.*

Denique idem Cyrillus in literis ad Juvenalem Acacium & Joannem Episcopos. *Sacra*, inquit, *Romana Synodus disertam statim in Nestorium tulit sententiam. Cujus decretis modis omnibus parendum est illis qui à totius Occidentis communione excidere noluerint.*

IV. Ex 4. Concilio Generali Chalcedonensi.

Constat 4. ex IV. Concilio generali Chalcedonensi. Hoc enim Concilium Leonis Pontificis autoritate & Martiani Imperatoris studio imperioque subserviente est institutum. In eodem Legati Pontificis Paschasianus, Lucentius, Bonifacius & Basilius omnia quantum ad causam, sententiamque moderati sunt, ut patet ex Evagrio Eccl. hist. L. 2. c. 4. & ex hoc ipsi Magdeburgenses Cent. 5. cap. 9. ubi inter alia referunt, quòd absentibus Pontificis Legatis Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha innovationem Canonis V. Constantinopolitani, ut hæc sedes proxima à Romana esset, vafrè impetravit, sed cui deinde Romani Legati contradixere: Et hoc Synodi Judicium, videlicet *Primatum quidem & honorem præcipuum relinquendum esse Episcopo Romano, attamen & Constantinopolitanæ Ecclesiæ primatus nonnihil deferendum, quia & fascibus Imperii ornata & nova Roma dicta sit &c. Legati Romani à Synodo petierunt suspendi aut circumduci ad Episcopi Romani usque judicium, cui petitioni Synodus non repugnavit.*

In eodem Concilio Consessu 1. hæc habentur à Magdeburgensibus etiam adducta. *Vocatur Dioscorus per Synodi Epistolam, sed venire recusat. Ad quam contumaciam deponitur promulgantibus Synodi concordi consensu Leonis Vicariis sententiam eum in modum. Manifesta facta sunt Dioscori &c. Unde Sanctissimus & beatissimus Leo magnæ ac veteris Romæ Episcopus per nos ac præsentem Synodum, unà cum gloriosissimo & beatissimo Petro Apostolo (qui petra*

tra

tra & basis est Ecclesiæ Catholicæ, & fundamentum orthodoxæ fidei) Episcopali eum dignitate privavit, & ab omni sacerdotali energiâ eum alienum constituit. Itaque Sancta ista & magna Synodus eadem contra dictum Dioscorum pronuntiat, quæ à Canonibus sunt decreta.

Hanc quoque Synodum non potuisse coalescere absque sententia Leonis Papæ agnoscit Imperator ipse Marcianus in prævia ad Synodum epistola quam Leoni Secundam misit, ubi sic habet. *Superest, ut si placuerit Tuæ Beatitudini in has partes venire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur &c. Si vero & hoc onerosum hoc ipsum propriis literis Tua Sanctitas manifestet, quatenus & in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illirycum nostræ literæ dirigantur, ut ad quendam destinatum locum, ubi vobis placuerit omnes Sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianæ religioni & Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas Tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.*

Extat & inter Synodales hasce Epistolas una Episcoporum Mœsiæ ad Imperatorem Leonem, quæ sic habet, *In Chalcedonensium civitate multi Sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis qui vere caput est Ecclesiarum.*

Ipse quoque Leo Pontifex Epist. 61. Synodi Chalced. sic scribit. *Ne per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem: hæc ad omnes Fratres & Co-Episcopos nostros scripta direxi.... ut & Fraternitas vestra & omnium fidelium corda cognoscant me non solùm per Fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam in sola causa fidei.* &c. Denique Concilia non debere præter Sententiam Romani Pontificis celebrari patet ex eo, quod utrimque partes adversæ, hoc est, tam Dioscorus Episcopus Alexandrinus, quàm Maximinus Antiochenus, Anatolius Constantinopolitanus, & Juvenalis Jerosolymitanus, atque ipse etiam Imperator Marcianus Legatos & literas hac in Ecclesiæ causa ad Leonem Rom. Pontificem destinaverint.

Ex his igitur Quatuor primis Generalibus Conciliis (quibus *tanquam quatuor Evangeliis honorem haberi voluit* D. Gregor. M. & ex quibus proinde Protestantes Lutherani in Libris suis Symbolicis reponunt proprium cujusque Symbolum seu Confessionem, patet quod Concilia non sunt pro legitimis habita nisi ex sententia

Romani Pontificis celebrata fuissent: adeoque solum Concilium sine Papa non potest dici Ecclesia proponens Veritates fidei hinc sit.

Assertio Catholica secunda Ecclesia Proponens est Summus Pontifex cum Concilio. Confirmatur ex Valenburchiis.

Assertio Catholica secunda *Ecclesia Proponens veritates fidei à Deo verè revelatas est summus Pontifex cum Concilio, seu Concilium unà cum Pontifice.*

Dico hanc esse Assertionem Catholicam, quia in ea omnes Catholici Doctores conveniunt.

Confirmaturque ex Doctissimis Valenburchiis, qui Exam. 3. Cathol. Principii §. 9. *de Propositione Ecclesiæ.* Hanc adducit Propositionem.

Propositio 1. *Ecclesia Proponit Verbum Dei, per Concilia generalia confirmata à summo totius Ecclesiæ Pastore. Itaque in genere asserimus Verbum Dei proponi per* Ecclesiam, id est *per Pontificem cum Concilio vel per Concilium cum Pontifice*, adduntque *In quo omnes Catholici conveniunt.* Vide Bellarm. *hoc modo loquentem* de Judice Controversiarum Lib. 3. de Verbo Dei c. 3. §. *Tota igitur.* Tannerum Tomo 3. disp. 1. q. 4. 3. dub. 6. assert. 5. n. 242. col. 268. Probantque id ex Joan. 20. 22. Matth. 10. 40. Lucæ 10. 6. 2 Cor. 13. 3.

Deinde vero postquam alteram propositionem adduxissent, nimirum hanc.

Propositio 2. *Longè verius est infallibilitatem Pontificiæ definitionis & propositionis non pendere à Concilio generali, adeoque Pontificem etiam extra Concilium generale circa dubiam aliquam fidei quæstionem infallibiliter definire* & dicunt. *Hæc est longè communior & verior Theologorum sententia* &c.

Tandem Tertiam Propositionem ponunt videlicet hanc

Propositio 3. *In disputatione contra Adversarios fidei Catholicæ satis est id quod apud omnes Catholicos in confesso, & de fide certum, atque adeò propriè contra ipsos controversum est defendendum suscipere, nimirum, si cum Generali Concilio aliquid circa fidem definiat, errare in definiendo non posse. Ratio est*, inquiunt, *quia Propositio secunda non est tam certa atque prima, nec apud Catholicos undequaque extra controversiam, imo inter ipsosmet Catholicos etiamnum controversa.* Ita expresse Tannerus Tomo 3. disp. 1. q. 4. dub. 6. assert. 6. Num. 248. & 250. Col. 270. & 175. Alph. à Castro de Inst. hæret. punit Lib. c. 5. fol. 28.

Nec verò omittenda censeo quæ sequuntur: *In præcedenti*, inquiunt,

quiunt, *ſicut & in prima propoſitione conveniunt omnes Catholici. Contra ſecundam non habent Adverſarii quod opponant: cùm enim etiamnum inter ipſoſmet Catholicos ſit controverſa, non eſt propriè contra Lutheranos, alioſque ſimiles controverſa; quia niſi aliquid inter omnes Catholicos in confeſſo & fide Catholica certum ſit, non poteſt ab ipſis oppugnari ut dogma fidei Catholicæ, ſive quod ab omnibus defendi neceſſariò debet, qui Eccleſiæ Catholicæ filii ſunt.*

Unde Theologi Moguntini (ſubjungunt Valenburchii) *cauſæ*, inquiunt, *ſtatum tenebris involvit Calixtus. Si enim id quod ſolùm apud nos eſt dogma Catholicum (ſcilicet Papam una cum Concilio generali eſſe infallibilem in definitionibus fidei) in controverſiam vocaſſet non adeò latum declamandi campum nactus eſſet ejus infrunita loquacitas.* Iren. Anti-Calix. par. 2. cap. 1. & 4.

Et hinc, inquiunt porro, *licet multi defendant ſecundam Propoſitionem contra Adverſarios fidei noſtræ idque ſolenniter factum ſit in Colloquio Ratiſponenſi: alii tamen compendioſiorem viam eligentes hoc defendunt, quod ſatis eſt, primam videlicet propoſitionem.*

Hic addunt inſuper, *poſterior modus magis placet, vel quia ſic liquidius patet, quid apud omnes Catholicos in Confeſſo, & fide certum ſit; vel quia ſic multæ præſcinduntur Controverſiæ, quæ Adverſarios fidei Catholicæ non concernunt, Errantes etiam citius reducuntur ad veritatem, malignantium potentius ora obſtruuntur, qui alioquin aſſumentes, quod inter ipſoſmet Catholicos etiamnum controverſum eſt, argumentis Catholicorum inſtructi ad plauſum populi digladiantur, de rebus maximè certis minimè ſolliciti. Atque hunc modum ſecutus eſt* D. Veronius (Tomo 3. Lat. part. 5) in Gallia. R D Nishuſius Wecher n. 16. p. 53. &c.) in Germania. Valer. Magn. (Judice de Cath. Reg. cred. Lib. 5. c. 3.) ex Italia. *& alii non pauci invenerunt utilem.*

Certa itaque eſt Aſſertio Catholica quòd Proponens Eccleſia veritates fidei ſit ſummus Pontifex cum Concilio, & Vice Verſa hoc cum illo: idque vel ex ipſa naturali connexione & compagine Capitis cum corpore patet: ſicut enim caput phyſicum una cum corpore phyſico, & hoc non ſine illo, ſic & morale Caput Eccleſiæ viſibilis unà cum corpore repræſentativo Eccleſiæ; nimirum Concilio generali omnes exercere neceſſe eſt operationes adeoque & veritates fidei proponere.

Hinc jam quo ad Secundam Partem Propoſitionis ſit.

Assertio. 3 Ecclesia Proponens est etiam Summus Pontifex cum cetero fidelium cœtu unanimi consensu in Veritatibus fidei conspirans.

Assertio Catholica III. *Ecclesia Proponens veritates fidei à Deo verè revelatas, est (quamdiu Concilium generale non adest) Summus Ecclesiæ Pastor & caput Pontifex unanimi sensu & consensu cum ceteris subordinatis Episcopis ceu Ecclesiarum Pastoribus, totoque vel plurimo fidelium cœtu ceu ovibus ac membris in veritatibus fidei credendis conspirans seu in Conciliis particularibus, seu extra.*

Explicatur Assertio.

Explicatur Assertio. Potest contingere in Ecclesia, quin (ut brèvi videbimus) contigit sæpiùs, ut de articulo aliquo fidei quæstio oriatur, quæ aut nondum per Concilium generale decisa fuerit aut nunquam. Nihilominus de veritate illius articuli seu pro parte affirmativa seu Negativa Ecclesiæ constare omnino necesse est. Quis igitur hoc in passu erit Proponens illam veritatem fidei? seu per quem veritas illius articuli fidelibus constabit? ne scilicet *circumferantur fideles velut arundo vento agitata in circumventionem erroris.* Et indubitatum quidem est, quòd illius circa quem est quæstio articuli Veritas absolutè & simpliciter seu quoad semet ipsum sit unica certa & immutabilis, quia defacto supponitur revelata à Deo; nihilominus veritas illius debet etiam constare respectivè quoad ipsos credentes; aliàs quomodo fideles erunt certi de illa verè revelata, adeoque credenda. Et in hoc quidem passu asserimus certos fore de veritate revelationis illius articuli, per hoc ipsum, quòd scilicet Summus Pontifex ceu Ecclesiæ Pastor, cum ceteris subordinatis Ecclesiarum particularium Pastoribus, totoque vel plurimo fidelium cœtu ceu ovibus in illa veritate tanquam à Deo revelata unanimiter consentiant & conspirent, idque seu in Conciliis particularibus seu extra illa, etiamsi necdum per Concilium generale fuerit decisa, vel absolutè nunquam decidenda foret.

Probatur breviter.

Militat pro hac Assertione Promissio Christi Domini Ecclesiæ Universæ Spiritus S. *Spiritus Veritatis*, qui *cum illa mansurus* semper, qui eam *docturus omnem veritatem.* Promissio item sui ipsius: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

Probatur hæc & præcedentes duæ assertiones, adeoque tota Propositio Inductione per seriem temporum & seculorum.

Nihilominus tam hujus quàm præcedentium assertionum, totiusque adeò nostræ Propositionis Probatio pendet ab Inductione veritatum fidei quæ diversis temporibus in Ecclesia Christi fidelibus propositæ à Summo Pastore Pontifice Romano, vel cum Concilio generali vel citra hoc in Concilio particulari aut unanimi consensu ceterorum Pastorum atque ovium Christi fidelium, idque sequentibus præstabimus.

PRIMO SECULO.

Viventibus adhuc Apostolis in tenella illa Christi Ecclesia orta est quæstio & controversia inter fideles, eos scilicet, qui ex Judæis & Gentibus crediderunt promovente illam Cerintho teste Epiph. hær. 28. & aliis de hæresi Pharisæorum. An scilicet Christianis necessaria foret Circumcisio, aliique Legis Mosaicæ ritus Act. 15. Ad hanc tollendam controversiam *convenerunt Apostoli & Seniores Videre de Verbo hoc*, id est, Concilium primum in rebus fidei & morum institutum ab Apostolis generale: in quo *cùm magna inquisitio fieret.* Summus Ecclesiæ Pastor Petrus, cui *pascendas oves suas & agnos* commiserat Christus D. *Surgens dixit ad eos, Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes Verbum Evangelii & credere* &c. Qui postquam suæ sententiæ & decreto finem imposuit, *tacuit omnis multitudo*: assensum videlicet præbendo Sententiæ Petri: *qui enim tacet consentire videtur.* ex lege Juris. Et quamvis ibi introducatur locutus D. Jacobus, nihilominus non ea primatiali autoritate quâ Petrus, neque enim primus ordine ausus est surgere & sententiam ferre ut Petrus, neque sibi primatum autoritatis & Jurisdictionis appropriat, quam de se asseveranter testatur Petrus, dicens: *Deus elegit in vobis per os meum audire Gentes Verbum Evangelii & credere.* Quo dicto testatur se electum esse ad hoc ut singulari præ ceteris autoritate sit Proponens Verbum Dei, & veritates fidei revelatas à Deo, id quod in hoc Concilio reapte exercuit, Deinde Jacobus testatur sese solum accommodare & quodammodo subscribere Sententiæ & decisioni Petri, quia illa tantùm testimoniis S. Scripturæ confirmat, ait enim *Simon narravit* &c. *& huic concordant Verba Scripturarum.* &c. ac tandem unanimi consensu totum illud Concilium Apostolorum & Seniorum cum D. Petro tanquam Summo Pastore conclusit ac decrevit pro hac veritate, nimirum Circumcisionem & Legis Mosaicæ ritus prorsus abolendos declarando Universæ Ecclesiæ per literas, & per os Pauli & Barnabæ, & qui cum illis missi fuerant quòd *Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria.* &c.

Primo seculo veritas de abroganda circumcisione & Legalibus ritibus per summum Pastorem cum Concilio Apost. proposita.

Prima itaque hæc veritas fidei simul & morum contra Cerinthum & alios de hæresi Pharisæorum, de quibus ibidem dicit illud Concilium *quidam ex nobis exeuntes turbaverunt Vos verbis, evertentes*

animas

animas Vestras. quod proprium est hæreticorum. Veritas inquam hæc de sublata Circumcisione & Legis Mosaicæ ritibus per legem gratiæ Christi fidelibus tenenda & credenda tanquam à Deo revelata proposita est non aliter, quàm per Summum Pastorem Petrum cum Concilio generali, vel per Concilium generale cum Summo Pastore, quod perinde est.

Quam præclarè tam verè D. Leo Serm. 3. anniversario suo assumptionis. *De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum Gentium vocationi & omnibus Apostolis cunctis Ecclesiæ Patribus, proponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Fuerunt hâc ætate & alia in Ecclesia dissidia & hæreses, Sed hæ partim privatæ, neque adeò in vulgus emersêre, partim in ipsa herba ab Apostolis sigillatim convictæ errorum & suppressæ. Qualis fuit Simon Magus, Thebutes, Alexander ærarius, Hymenæus, Philetus, Diotrephes seu Diotrepes, Menander, Ebion, Nicolaus.

Alia Apostolorum Concilia. Insuper præter alia Concilia in Actibus Apostolorum enumerata, ut Act. 1. ad eligendum Matthiam. Act. 6. pro electione septem Diaconorum. Act. 21. de legalibus ceremoniis an ad tempus essent permittendæ, dicitur alios Conventus in ejusdem Libri Cap. 4 & 11 descriptos, celebrasse Apostolos Concilium in Judæa, ipso mutuæ abscessionis suæ tempore ex SS. PP. & Veterum Doctorum scriptis colligitur. Anno videlicet Christi 44. in quo Symbolum, quod eam ob causam Apostolorum nuncupatur, composuerunt, idque non Scripto sed traditione communicârunt. Et ex quorundam etiam Sententia Canones, qui Apostolorum passim vocantur & à Clemente Romano conscripti habentur, statuerunt. Vide cit. Gaulterium.

Eodem quoque seculo ab Apostolis absque Concilio generali constituta esse aliqua alia, quæ ad praxim & mores Ecclesiæ spectant, testantur SS. PP. apud eundem; uti Dominicus dies primus Christianorum dies festus ab Apostolis ad Resurrectionis Jesu Christi memoriam in ipsis Ecclesiæ primordiis institutus. 2. Natalis diei D. Jesu annua celebritas. 3. Epiphaniæ dies festus Apostolicis constitutionibus annumerandus. 4. Paschatis item seu Resurrectionis D. N. I. C. celebratio. 5. Vigilia Paschatis. 6. Dominica in albis seu Octava Resurrectionis. 7. Ascensionis Jesu

Christi

Christi solennitas. 8. Pentecostes item Apostolicis institutionibus adscribenda. 9. Quatuor temporum Jejunium traditione Apostolica observatum. 10. Purificationis Sacratissimæ Virg. Mariæ dies solennis antiquissimus vel ab Apostolis ipsis, vel certè ab Apostolorum discipulis acceptus. 11. Ipsorum etiam Apostolorum festi dies instituti, ubi primum illis discipuli ipsorum successerunt.

Hæc inquam omnia per Apostolos, quos inter Petrus primatum gerens, unanimi fidelium consensu & acceptatione accedente sunt probabiliter constituta, & etiamnum in Ecclesia Sacro-Sanctè tenentur in suo vigore, solo unanimi ac perpetuo consensu fidelium, una cum suis pastoribus, ac tandem cum supremo conspirante.

II. SECULO.

ORta est quæstio facti inter nonnullos Christianos quonam tempore Pascha celebrandum foret cum Judæisne XIV. seu in Plenilunio primi mensis? an alias? Ad decidendam hanc quæstionem & veritatem pro una parte stabiliendam, atque Ecclesiæ ut à Deo revelatam proponendam celebratum est Romæ Concilium sub Victore summo Pontifice ejusdemque autoritate convocatum. In quo decretum est, ut Pascha die Dominico proximè sequenti XIV. Lunam & æquinoctium Vernum celebretur. Cujus Concilii mentio fit apud Euseb. Hist. Eccles. L. 5. c. 22. Item Tomo 1. Concil. apud Baronium Ann. 198. Onuphr. Ann. 187.

II. Seculo Veritas de Paschate die Dominico celebrando definita & proposita per summum Ecclesiæ Pastorem cum Concilio particulari.

Ejusdem Victoris autoritate & eandem ob causam congregatum est Concilium in Palæstina à Theophilo Cæsariensi Episcopo cum Narcisso Hierosolymorum. Palmas quoque Episcopus in Ponto, aut juxta alios apud Corinthios. Irenæus item Episc. in Gallia Synodum convocavit, decretumque Victoris omnium consensione est stabilitum.

Convocatum est insuper ejusdem Victoris autoritate Concilium Asiaticum à Polycrate Episc. Ephesino. Euseb. L. 5. c. 23. qui Pascha celebrare cupiebat die XIV. primi mensis, sive ille Dominicus esset siue non, eò quòd assereret se à Joanne Apostolo per traditionem id accepisse, sed reprobatum à Victore Euseb. Lib. 5. c. 24. & quidem eos omnes excommunicante qui aliter ac Romana Ecclesia celebrare Pascha præsumerent. Quæ excommunicatio Gallorum Ecclesiis visa est tunc severior, adeo ut per Irenæum conquesti sint apud S. Victorem, non quòd Pascha die Dominico celebrandum cum illo non sentirent, sed tantùm quòd molestè fer-

rent tot homines Ecclesiæ communione privatos esse quos Victoris antecessores toleraverunt.

Cæterum, inquit, præcit: Gaulterius, insigne admodum hos „ inter & Victorem discrimen est, eodem siquidem tempore „ qui XIV. die Pascha celebrabant, id absque ulla Romanæ sedis „ condemnatione. Judaismive introductione aut segregatione ab Ec- „ clesia faciebant. Quæ omnia cùm videret Victor suo tempore fieri „ tum à Montanistis tum à Blasto Romæ eam ob rem Schisma facien- „ te, coactus planè est remedium non tam severum quàm necessa- „ rium adhibere. Fuit autem hæc reprobatio postea confirmata à Sa- „ cro Sancto Concilio Niceno 1. ut ex Euseb. colligitur Lib. 3. de Vit. „ Const. c. 13. & To. 1. Concil. Qui verò Ecclesiæ hac in re animo „ obfirmato restiterunt Quartadecimani fuere appellati. Baron. an. „ 198. Qua de re etiam sic ait Niceph. L. 4. c. 39. *Vix tandem Asia „ cessit & ubique terrarum in orbe decretum est, ut non cum Judæis sed ipso Dominico die Pascha peragatur* &c.

Nec verò prætereunda censeo ea, quæ cit. Gault. subjungit. Hic interea, inquit, observanda est Ministrorum vel malitia, vel cæcitas, qui persuadere nituntur S. Irenæum S. Victoris doctrinæ obstitisse, ideoque Eusebii Verba in Gallica qua utuntur versione corrumpere non erubescunt, ut facile ei erit perspicere, qui illam vel cum ipso textu græco vel cum probata aliqua editione Latina contulerit &c. Unde cognoscet non solùm unanimem S. Irenæi cum Ecclesia Romana consensum, sed præterea honorem eximium quo hanc ille prosecutus est; maxime dum eam. L. 3. c. 3. dixit *maximam, antiquissimam omnibus cognitam, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatam & constitutam*: dumque addit, *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in* qua demum *semper ab his qui sunt undique conservati est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.*

Veritas itaque hæc fidei simul & facti, quòd scilicet credendum, & tenendum sit Pascha debere celebrari die Dominico proximè sequenti XIV. Lunam & æquinoctium Vernum (ne scilicet Christiani cum Judæis in illo celebrando convenirent, qui alias ipsa XIV. primi mensis suum Pascha celebrant) tanquam à Deo revelata, decisa, & proposita est Ecclesiæ Universæ non per Concilium generale, sed per particularia, videlicet summo pontifice Victore in eisdem cum Episcopis atque fidelibus in unam sententiam conspi-

rante

rante & consentiente. Fuêre hoc etiam seculo alii errores & hæreses. Sed vel quòd non habuerint potentes promotores, vel quia tot ac tam inter se diversæ ipsa mole sua ac multitudine velut confusa Babel ruebant. Nec ullo generali aut Nationali Concilio sunt revictæ præter solos Quartadecimanos ut dictum. Emersere tamen ex illis aliquæ sequentibus seculis. Non omittendum tamen id quod in Anonymo (quem Hincmarus Rhemensis per errorem Hyginum vocat) in Hæresi XXVI. legere est, *Tertullianistas olim à Sotero P. Romano damnatos*. Quod ipsum nostram assertionem confirmat.

Tertullianistæ à Sotero P. damnati.

III. SECULO.

III. Seculo. Conciliis particularibus.

OBorta inprimis Quæstio *An baptizati fideles in peccatum lapsi ad pœnitentiam admittendi forent?* Negabat Novatianus seu Novatus primus hujus hæresis autor Romanæ Ecclesiæ Presbyter temporibus Galli & Volusiani Imperatorum & Cornelii summi pontificis circa annum 255. à quo Novatiani dicti, alio nomine Cathari, id est, mundi appellati, ob eam, quâ se superbissimè & odiosissimè efferebant munditiam & puritatem, apud Prateolum. Hi porro in peccatum prolapsis & ad Ecclesiam *lacrymis gemitu, & dolore cordis pulsantibus*, ut D. Cypr. ait, *divinæ pietatis & lenitatis paternæ solatia & subsidia claudebant.*

I. Veritas de lapsis ad pœnitentiam admittendis; contra Novatum proposita fidelibus credenda per Cornelium Pontificem conspirantibus aliis Episcopis & fidelibus.

Hæc hæresis non est per Concilium plenarium revicta, sed solùm in Concilio particulari per Cornelium Papam, de quo sic Dionysius Alexandr. *Novatus Romanæ Ecclesiæ Presbyter elatione quadam tumidus, spem penitus salutis lapsis adimebat etiamsi dignè pœnituissent, quo impio errore multos ad desperationem adegit, & Ecclesiarum concordiam dissipavit, ex quo & Princeps hæreseos est appellatus. Ob quam rem Concilium sacerdotale celeberrimum sexaginta Episcoporum contra eum tempore Decii in urbe Roma celebratum est, ibique statutum à Papa Cornelio Novatum cum suis ab Ecclesia alienum esse.* Vide Euseb. Cæsar. L. 6. Hist. Eccl. c. 38.

Testatur quoque Prateolus, quòd (indubie exemplo Cornelii) celebrata etiam sint seorsim in multis locis & regionibus Concilia, quorum omnium uno calculo decretum est Novatum quidem una & suos adhærentes cum sua opinione ab Ecclesia proscribendos prorsus.

Veritas itaque hæc contra Novati errorem stabilita est tanquam à Deo revelata nimirum: *lapsos si pœniteant ab Ecclesia recipiendos*, at quæro quo proponente? non alio quam summo Ecclesiæ

Pastore pontifice Cornelio cum Concilio Romano, cum quo unanimi consensu & ceteri Pastores Ecclesiarum, fidelesque ceu oves conspirarunt.

Secundo. De hæreticis non rebaptizandis si ad Ecclesiam accedant.

Secundo. Alia præterito seculo controversia *de hæreticis rebaptizandis* nata, hoc verò seculo tertio *ancipiti*, ut ait Masenius Medit. Conc. p. 337. *divisoque Ecclesiarum sensu* agitata est. Nam cum in Africa coacto primum Agrippinus Carthaginensium Episc. circa annum 217. Concilio, ac deinde Cyprianus sub Stephano Papa I. circa an. 258. eodem semel iterumque magnâ frequentiâ repitito, statuisset hæreticos, ut nunquam rectè baptizatos cum baptismate recipiendos esse. Romanus Pontifex cum suo Concilio hoc irritavit, statuitque validum esse hæreticorum baptismum; ad cujus sententiam Africanæ sensim Ecclesiæ accessere, Cyprianum quoque mutasse animum satis constat ex Augustino. Lib. 2. de bapt. cont. Donat. c. 4. Item Ep. 48. Et ex Hieron. contra Luciferitum, tum etiam ex aliis ipsius scriptis colligitur. Nam Lib. 2. c. 3. & Serm. 3. de Ablut. pedum ait *Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ*. Idemque postea statuit Concilium Carthaginense 3. sub Siricio Papa Can. 38. Anno 397.

Tertia. Veritas de Trinitate Personarum in una natura Divina, contra Sabellium &c.

Tertio. Hoc etiam seculo circa ann. D. 260. Sabellius Pentapolitanus ex Ptolemaide Ægypti civitate oriundus Noëti ut Philastor ait, discipulus sub Galieno Imperatore & Stephano I. pontifice prodiit. Hic unam esse personam Patris & Filii & Spiritus S. adstruebat, personarum in Trinitate differentiam, & numerum confundens, quasi de tribus unam faciens. Promovit hanc eandem hæreticam opinionem Paulus Samosatenus, una cum Artemonis & Ebionitarum erroribus Aureliani Cæsaris & Felicis I. pontificis temporibus. Unde etiam Paulinistæ ab illo dicti in nomine Trinitatis minimè baptizabant.

Hæc quoque hæresis hoc seculo non est damnata per Concilium generale. Sed inprimis celebratum est Concilium Antiochenum 70 Episcoporum sub Dionysio Summo Pontifice An. 266. In quo tamen permissum Paulo Samosateno suam retinere fidem quod culpam confessus emendationem pollicitus esset. Baron. an. 265. & an. 266. Euseb. Lib 7. hist. c. 22. & seq. Aliud deinde contra eundem hæreticum Concilium Antiochenum habitum an. 272. in quo ille violatâ ad restaurandam hæresim suam fide rursus censurâ percellitur, ab omnibus condemnatur & de sede sua deiicitur. Atque ea super re dantur Literæ ad Dionysium Rom. Pont. Cum ve-

rò Aurelianus Imper. interpellatus esset, ut eum jam damnatum Episcopali domo submoveret Imper. *ille domum Ecclesiæ adjudicari præcepit, quibus Episc. Italiæ & Romæ in dogmate concordes scriberent.* Baron. An. 272. Euseb. Lib. 7. c. 23. & seq. Autor quoque est Nicephorus L. 9. c. 31. damnatam hæresim Sabellii & cum ea Photini & Samosateni in Smirniensi Concilio. in Alexandrina quoque Synodo ut idem habet. Lib. 10. c. 15.

Unde patet hanc Hæresim non aliter damnatam, quàm autoritate Dionysii Summi Pontificis unà cum Conciliis Patrum, atque unanimi consensu fidelium. Nam de illo ita testatur Gaulterius ex probatis quos citat, Autoribus. Sabellii hæresiarchæ personarum Divinarum distinctionem abnegantis errorem non tantùm Concilii decreto, sed etiam scripto libro damnavit. Hinc igitur patet quòd.

Veritas hæc *In Divinis dari distinctionem personarum cum identitate Naturæ*, propositam esse tanquam à Deo revelatam Ecclesiæ per Summum ejusdem Pastorem Dionysium Pontif. Romanum unà cum Conciliis particularibus & unanimi consensu fidelium. Non prætereundus hic error quem sub. Manud. 2. Argum. 7. voco innocentem in aliquibus Orthodoxis etiam PP. Chiliastarum, quam unà cum aliis erroribus Apollinaris à Damaso Papa Concilio 2. generali sequenti seculo condemnatum testantur A. A. V. Gault. cit. pag. 243.

Chiliastarum error damnatus à Damaso.

Non commemoro plurimas alias hæreses quæ vel quia obscuræ in suis tenebris sepultæ manent, vel nimis manifestæ palam factæ raros habuêre sequaces: ceteræ sequenti seculo ad lydium lapidem D. Petri Petræ probatæ velut adulterinum æs reprobatæ sunt.

IV. SECULO.

CONversione Constantini Magni ad Christum pace quadam ac malaciâ Ecclesiæ concessâ post tot persecutionum à Tyrannis & Imperatoribus Romanis excitatarum turbinis novæ portæ inferorum aperuerunt viam tempestatibus errorum atque hæresum, quæ quo notabiliores hæresibus præteritorum seculorum fuerunt, eò potentiori robore ab Ecclesia compescebantur. Quam ob rem has inprimis hoc seculo numerabimus hæreses quæ per Summos Ecclesiæ Pastores cum Conciliis generalibus sunt sublatæ, Veritates autem fidei orthodoxæ firmatæ, tum descendemus & ad eas, quæ citra generalia Concilia eliminatæ.

IV. seculo. Conciliis generalibus per summos Pontifices Veritates fidei propositæ.

1. De divinitate Filii Dei in Conc. Niceno contra Arium.

I. Occurrit hæresis Arii, Photini, & Sabellii, Jesu Christi Divinitatem negantium. Contra quam uti & contra Quartadecimanos ad solennitatem in Dominica die firmandam institutum est Concilium generale Nicenum à Patribus 318 sub Constantino Imperatore & Sylvestro Pontifice Anno circiter 325. In quo Concilio Sylvestrum per suos Legatos primatum gessisse supra ostendimus.

Veritas itaque hæc de Divinitate Christi D. ut & ceteræ fidei ac morum quæ in eodem Concilio stabilitæ sunt propositæ fidelibus per Summum Ecclesiæ Pastorem Sylvestrum unà cum Concilio generali.

2. De divinitate S. Spiritus in Concil. Constantinopolitano contra Macedonium.

II. Contra Macedonium negantem Divinitatem Spiritûs S. coactum Concilium generale II. Constantinopolitanum Ao. 381 à Damaso Summo Pontifice. de quo etiam supra.

Veritas itaque hæc quòd Spiritus S. sit verè Deus Tertia SS. Trinitatis Persona tanquam à Deo revelata proposita est fidelibus per Summum Ecclesiæ Pastorem cum Concilio generali.

Veritates fidei hoc seculo in particularibus Conciliis propositæ ante Nicenum generale.

Jam Veniamus ad Veritates definitas & propositas fidelibus in Conciliis particularibus.

Concilia Particularia ante Nicenum celebrata.

I. In Concilio Sinuessano Primam sedem non judicandam decernitur.

I. CONCILIUM *Sinuessæ* celebratum Anno 303. circa culpam ac pœnitentiam Marcellini Papæ. In quo squalidum & dolentem cum Petro veniam fragilitatis rogasse testantur Scriptores (Baron An. 303. Onuphr. Genebr.) neque quenquam etiam crimen fatentem condemnare ausum quòd dicerent *Primam Sedem à nemine judicari debere. Tu ergo*, inquiunt, *teipsum judica*, qui & judicavit se ipsum deponendum, & anathema illi dixit, qui corpus suum sepulturæ mandaret, adiitque Diocletianum lapsumque retractans Capitis condemnatus Martyr obiit.

II. Concilium Elibertinum non per omnia incorruptum ab Innocentio I. in quibusdam excusatur.

Etsi quidem hoc Concilium nullam veritatem fidei sigillatim fidelibus credendam proposuerit, adducitur tamen à Nobis ad Confirmationem Primatûs & prærogativæ Sedis Romanæ.

II. Est *Eliberinum* seu *Eliberitanum* in Hispania sub Marcello I. & Constantio, Galerioque Imper. circa An. 305. Quod quamvis quo ad articulos quosdam præsertim circa lapsos in quibusdam Canonibus Novatiano, & Can. 34. Vigilantio, Can. 36. Iconomachis favere visum est, ideoque receptum ab Eccles. Romana his partibus non fuerit. Tamen in quibusdam ab Innocentio I. excu-

cuſationem habet Ep. 3. c. 2. præſertim quia in eo aliquæ Veritates ab Eccleſia jam receptæ, inſuper confirmantur, ut Can. 13. De *Virginibus Deo dicatis*. Can. 23. De *Jejuniis ſeu abſtinentiis die Sabbathi*. Can. 33. de *Cœlibatu Epiſcoporum Diaconorum, & Subdiaconorum*.

III. eſt. Particulare Concilium *Arelatenſe* in Gallia celebratum ſub Conſtantino Imper. circa An. 314. cauſam dederunt Donatiſtæ recens in Africa exorti ob æmulationem contra Cœcilianum Epiſc. Carthag. ſuſceptum, quem ut illegitimè à Felice Aptungitano Epiſc. ordinatum potentiore numero ejecêre, re judicioque ad Imperatorem Conſtant. in Gallia morantem delato. Verùm ille (ut Magdeb. Cent. 4. c. 8. ex Optato & Euſebio) indignans reſcripſit: *Petitis à me in ſeculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium exſpectem*. Neque auſus ſe cauſis Epiſcoporum interponere, diſcutiendas eas judiciis Eccleſiaſticis delegavit, & ad Melchiadem Epiſc. Rom. Epiſcopos ex Gallia convenire jubet, ut cauſam Africanorum dijudicent; quo judicio cùm Donatus cum ſuis damnatus, Cœcilianus cum Felice quem Traditoris nomine unà cum Cœciliano ſugillabant abſolutus eſſet, ille verò non acquieſcens moram necteret, & per ſe ſuoſque ad Imperatorem provocaret, hic primum miſit duos in Africam Epiſcopos cauſæ cognitores. Cumque nec hic freti multitudine obſequerentur: Concilium ducentorum Epiſcoporum convocari in Galliam curat. Ubi Sylveſtri Pontificis Legatis præſentibus juxta Romani Concilii Decretum iterum ac tertiò condemnati ſunt, Cœciliano in locum reſtituto. Cujus cauſa licèt facti potiùs quàm Juris eſſet, (cum ipſe & Felix de traditione Sacrarum rerum Ethnicis in perſecutione facta, & ob hanc ordinationis acceptæ datæque traducerentur) Imperator tamen ad Eccleſiæ Tribunal rejecit. In quo Summus Eccleſiæ Paſtor cum Concilio pro Cœciliano in cauſa facti decrevit. Ceterique ibidem conſtituta autoritate ejuſdem unà cum Concilio vim ſuam & valorem obtinent, ut Can. 23. *de Paſchate eodem die celebrando ubique*. Can. 8. *Ut hæretici qui nomine SS. Trinitatis non baptizati vero donentur baptiſmate alii ſic baptizati recipiantur*. Cum Novatiani & Donatiſtæ omnes rurſum baptizarent, &c.

III. Arelatenſe quæſtionem facti inter Donatiſtas & Cœcilianum definit. Conſtantinus Imperator Judicium Eccleſiaſticum recuſat.

IV. Memoratur quoque hic Concilium *Ancyranum*, *Neocæſarienſe*, *Laodicenum*, quæ omnia demonſtrant noſtram propoſitionem, quia unanimi conſenſu conſpirant cum Summo Paſtore Pontifice.

IV. Concilium Ancyranum.

V. Non

V. Concil. Romanum. V. Non prætereunda tamen hic Synodus Romana ultima ante Nicenam generalem sub Sylvestro Pontif. Ao. 323. cùm recens Constantinus baptizatus esset, celebrata ad crescentem jam mirificè Ecclesiam rectius, institutis etiam Cardinalibus, administrandam. Ubi inter alia Canon. 11. constitutus. *Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à Prima sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Judex judicabitur.* Huic Sententiæ subscripserunt 284 Episcopi; ipse etiam Imperator Constantinus, Mater Helena. Ultimum hunc Canonem citat etiam Nicolaus Rom. Pontif. adversus Michàelem Imperatorem. *Consonat*, inquit, *huic necessariæ Sententiæ S. Sylvester, & M. Constantini baptizator: dicens neque à Clero, neque à populo Judex* (supple Ecclesiasticus) *judicabitur.*

Enumerantur Concilia particularia post Nicenum celebrata. Et hæc quidem Concilia particularia celebrata sunt ante generale Concilium Nicenum, jam attingamus ea quæ post illud habita, idque præcipua, quia longum foret omnia enumerare.

Concilia Particularia post Nicenum celebrata.

I. Romanum. I. est *Romanum* Ao. D. 325. à Sylvestro Pontif. institutum post acceptam à Patribus Nicenis Synodicam ad se datam Epistolam, quâ Concilium Nicenum à sede Apostolica probari negabant, extat in Act. Pisani. Lib. 4. Ille igitur ex diversis Provinciis 275 Episcopis congregatis Nicenam Synodum ratam esse jussit. Idque confirmat Felix Papa III Epist. 4. *Tu es Petrus*, inquit, *& super petram ædificabo Ecclesiam meam. Eam vocem sequentes* 318 *Patres apud Niceam congregati, confirmationem rerum, atque autoritatem S. Rom. Ecclesiæ detulerunt. Quod ex* usu perpetuo Ecclesiæ factum tradit Socrates Lib. 2. Cap. 13. *Canon*, ait, *Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romanæ Ecclesiæ sanciantur.* Addit Jac. Masenius Med. Conc. p. 343. etiam hoc decretum Sylvester Episcopus dixit, *Nulli omnino Clerico licere causam quamlibet in publico examinare, nec ullum clericum ante judicium Laicum stare. Et dixerunt Episcopi: placet.*

II. Gangrense. II. *Gangrense* sub Constantino & Sylvestro habitum (vel si Socrati L. 2. c. 33. & Sozomeno fides danda) sub Constantio adversus Eustachium Sebaste in Armenia Episcopum Qui cùm nuptias damnaret, communionem Presbyteri, qui uxorem Laicus duxisset vetabat. Dominicis diebus præscribebat abstinentiam. Ab Ecce-

clesia orantes ad privatas domos avocabat &c. ideoque varii contra illum Canones decreti: quibus (inquit Jac. Masen. cit. l.) nonnulli Protestantium imperiti adversus Catholicos utuntur, cùm Gratianus quosdam ex Græco male versos citet, quo hic libenter utuntur. I. sic habet. *Si quis vituperat nuptias & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam* (εὐσεβῆ *piam*) *detestatur aut culpabilem æstimat, velut quæ in Regnum Dei introire non possit, anathema sit. IV. Si quis discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oporteat eo ministrante* (λειτουργήσαντος αὐτοῦ Sacrificante illo) *de oblatione percipere, anathema sit.* Qui Canon tantùm abest ut Rom. Ecclesiæ adversetur, ut illius etiam Sacerdotium stabiliat.

III. Varia deinde Concilia in Oriente potissimum adversus Athanasium celebrata sunt: contra quæ semper ad Sedem Romanam appellabat, inpr. ad Julium Pontif. qui ei unà & Paulo Constantinopolitano Episc. simul. cum illo appellanti dat literas ad Orientales Ecclesias in quibus Arianorum temeritatem duriter reprehendit, ac Athanasium Alexandrinum, Paulum Constant. Ecclesiam recipere jubet &c. Magdeburg. ex Socrate & Sozom. Cent. 4. c. 9. p. 409. ed ult. Tanta fuit harum literarum & Pontificis autoritas, ut in suum uterque Episcopatum receptus sit. Ariani tamen ad Julium contra scribunt & Concilium à se habitum sperni indignantur, communionem suam offerunt si abrogationem probet, si resistat avulsionem, sed nihil obtinent. III. Varia Concilia in Oriente.

Quanquam (inquit Sozom L. 3. c. 7. quod à Magdeburg. dissimulatur) *literis suis fatebantur Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, utpote quæ Apostolorum schola & pietatis Metropolis (licet Rectores religionis Christianæ primùm ex Oriente ad illos venissent) jam ab initio fuisset.* &c.

IV. Non commemoro hic alias Synodos in causa Athanasii totiusque Ecclesiæ contra Arianos à Julio Pontif. indictas & celebratas, ut *Romanam* cum 316. Episc. ex Oriente & Occidente collectis, qua Synodi Nicenæ Acta confirmata, & Athanasius absolutus. *Mediolanense* quâ novam Arianorum fidei confessionem condemnavit ob omissam Consubstantialitatis vocem. IV. Romanum Mediolanense.

V. Deinde *Sardicensis* pro generali habita ann. 347. in Illyria, à qua cùm se subduxissent Ariani Philippopoli Thraciæ urbe collecti oppositum Conciliabulum habuere, quod sub nomine Sardicensis Concilii venditatum. Verùm illi cum Photino (qui Christum V. Sardicense.

D. purum hominem ex Maria primò ortum asserebat) & Arianis in hac Synodo damnati sunt & omnia autoritate Romani Pontificis tanquam supremi Judicis manifestè stabilita. Ita ut hujus Concilii Canones sint tantum declaratio quædam Canonum Niceæ, ideoque nonnunquam confundantur, nec Concilium hoc inter generalia seorsim accenseatur.

In hoc Concilio Can. 4. ad Romanum Pontificem Patres decisionem retulerunt, *an si aliquis Episcopus adjuratus in aliqua causa, & putat se bonam habere causam, ut iterum judicium renovetur?* Can. 5. itidem circa depositionem Episcoporum. Can. 7. similiter *si Episcopus à congregatis regionis illius Episcopis de gradu dejectus fuerit & appellaverit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ*. Hæc verò ipsi etiam Magdeburg. recitant sine recusatione. Et certè addit præcit. Masenius p. 346. ex quo hoc compendii gratia decerpimus, antiquissima Ecclesiæ consuetudo fuit quam ipsi Ariani negare ausi non sunt, quamvis tentârint convellere, & S. Leo Pontifex epistola 89. ad Episcopos Galliæ confirmat; Constat enim tam orthodoxos quam heterodoxos ex usu ad hanc sedem in disceptatione recurrisse. Ita ad Pium I. se vertit Marcion in Ponto. ad Cornelium Pontificem Fortunatus & Felix in Africa: ad Stephanum Basilides in Hispania, ut mirum sit reperiri, qui tot testimoniis firmatæ antiquitati leviculis solum hominum secularium & rebellium Ecclesiasticorum ausu freti obnitantur.

VI. Jerosolymitanum.

VI. Post Synodum Sardicensem Athanasius literis Jul. Rom. Pont. ac etiam Imper. Constantis Alexandriam rediit. In via Hierosolymis Synodum Episcoporum instituit, in qua Nicenæ Synodi Canones confirmavit Socr. L. 2. c. 18. & 19. & Athan. Apol. 2. ap. Magdeb. Ursatius etiam & Valens Athanasii hostes professi suas in Virum innocentem calumnias in Concil. Mediol. Romæ ad pedes Julii Pontif. hæresim ejurarunt, & ab Athanasio in gratiam recepti.

VII. Carthaginense I.

VII. Habita sunt deinde Concilia particularia, *Carthaginense* I. Sub Julio ann. 348. contra Donatum, in quo varia in bonum Ecclesiæ decreta: à Pontif. Rom. probatum est, & à Leone IV. dist. 20. c. de Libell. ut legitimum usurpatur. Item *Vasense*, *Vasione*, seu *Vasatis* in Gallia tertiò celebratum, in quorum primo contra Arianos statutum inter alia ut in omnibus psalmis subjiceretur. *Gloria Patri & Filio &c. Sicut erat* &c. Item ut in omnibus missis, & non pro defunctis semper *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* dicatur. In secun-

cundo, quòd qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere morantur, ut infideles sunt ab Ecclesia rejiciendi, qui Canon citatur ab Arelatensi Concil. 2. Can. 28.

VIII. Item contra Athanasium tempestate ab Arianis excitatâ ad instantiam Constantini Imper. extrema occidenti Ecclesiæ minitantem à Liberio Pont. *Mediolani* Concilium indicitur facilè 300. Episc. quos inter Valens & Ursacius non ita pridem simulatè conversi. Orthodoxos verò nolentes Athanasii damnationi subscribere Constantius vel coegit vel multavit exilio, quod & ipsis Apostolicis Legatis, ut Eusebio Vercellensi & aliis factum. Liberium deinde accersitum cùm minis promissisque non posset inflectere, deportari exulem in Thraciam fecit, Diacono Felice Schismaticò per Arianos in sede subrogato.

VIII. Mediolani.

Verum post biennium anno. 362. Sirmiensis Synodus congregata, in qua Semi-ariani, qui filium *Homoiusion* non *Homousion*, i. e. similis non ejusdem cum Patre substantiæ, non minorem, sed æqualem agnoscebant, talem fidei formulam proposuêre, cui Hilarius nihil nisi vocem hanc unam defuisse fatetur. Huic revocatus ab Imper. Liberius vi minisque conatus subscripsit, Athanasioque damnato, in sedem suam una cum Felice est restitutus. Verùm Felice brevi Martyrio sublato solus præfuit Liberius, detestatus jam liber ante mortem omnia quæ coactus ore & calamo non mente patraverat, ut ipse Athan. ad solitarios de ipso testatur.

Sirmiensis Synodus Ariana.

Contra hanc porrò Synodum Arianam in Oriente aliam Hilarius (de Synod.) conscriptam fuisse asserit, quæ eandem contrariis decretis damnaret. Quare cùm ob diversas formulas, nec ipsi inter se consentirent Ariani (quando & tertiam deinde formulam, quæ diceret *Filium per omnia Patri similem* Constantius probavit) Arimini & Seleuciæ illic Occidentis hic Orientis Episcopos conveni re toto orbe voluit ratus hac ratione divisos Catholicos facilius in sententiam Arianorum deducendos.

Hilarius contra hanc aliam conscriptam asserit.

IX. Ariminensis itaque Synodus Oecumenica Episcoporum 400. circa ann. 358. collecta præter exspectationem Constantii Sirmiensem Synodum damnat, & Nicenam, Arianis, eorumque sectariis damnatis, confirmat. Qua re indignatus Imperator Niceæ Thraciæ collectos Arianos jubet novam fidei formulam quam Nicenam dici voce *Consubstantialis* tantùm amota volebat cudere, cumque illis ab expeditione Ariminum reversus, novo conciliabulo indicto, omnes pene vi metuque ad subscribendum compulit. Cùm verò Se-

IX. Ariminensis.

Seleuciæ Ariani à Semiarianis discessissent, & hi etiam Acacianos, quòd filium dissimilis substantiæ esse traderent condemnassent, Imper. Constantinopolis omnes evocavit, ubi Semiariani à cæteris damnati sunt, adeoque nova fidei formula, à qua non tantùm vox ὁμοούσιος sed & ὁμοιούσιος submota erat per orientem (ut Imperator nec ipse sibi constans voluit) recepta est. Inter hæc deliria Julianus in Galliis Victor proclamatur Imperator, & Constantius adversus hunc progressus in via metu & desperatione rerum prostratus expiravit. Julianus quamvis à Christo aversus, exulibus tamen Orthodoxis sedem pristinam restitui jussit. Quanquam id postea de Athanasio ita interpretatus sit cum gentilismo reducendo illum reducendo animadverteret obsistere ut solùm ab exilio revocasse diceret non in sedem reposuisse.

X. Alexandrina. X. *Alexandrinum* mox Concilium Eusebio Vercellense (Legato Liberii Pontif. ab exilio Thebano reduce) dirigente cum Athanasio instituit ad decreta Concilii Niceni stabilienda ut ait Sozom. L. 5. c. 11. ann. Juliani 2 Christi 362. statutumque 1. ut per vim aut ignorantiam lapsi ad pristinas sedes pœnitentiâ prævia admitterentur. 2. Tam Macedoniani qui Spiritus S. Divinitatem negarent, quàm Ariani & Semiariani, ac postremò emergens hæresis, quæ carnem Christi sine anima divinitate sola animatam asserebat (Apollinari post tributa) damnatur, 3. quòd Latini horrerent nomen ὑπόστασις velut idem cum οὐσία *substantia* seu *essentia* significantis; græcè verò nomen *personæ* tanquam munus & officium tantùm diversum in Patre & Filio designans; convenit utrinque ut pro eodem persona & hypostasis acciperetur, licet in Verbo Dei scripto hæc res definita non esset. Quæ acceptio deinde sensim totâ Ecclesiâ invaluit.

XI. Synodus Lampsacensis. XI. Nec multò post Athanasius furori Imper. coactus cedere illo Divinitus sublato per Jovinianum Imper. revocatus habitâ Episcoporum Orient. Synodo Orthodoxæ fidei formulam Imperatori pergratam obtulit. Biennio verò post Valentiniano Imper. regnante cum Semiariani Imper. pro Synodo indicenda sollicitarent, respondit, *sibi qui unus è Laicorum esset numero non licere ejusmodi se negotiis interponere, id Sacerdotum & Episc. munus esse.* Sozom. L. 6. c. 7. Habito igitur Concilio *Lampsaci* ut beneficio Rom. Pont. sedes suas recuperare possent fidei Nicenæ Confessionem (ut Socrat. Lib. 4. c. 11.) per Legatos suos offerunt, literasque communicatorias à Pontifice aliisque Episc. accipiunt, atque autoritate il-

illarum licet fide postea violata restituuntur.

XII. *Romana* subinde aliquot Concilia à Damaso Pontifice celebrata, quibus diversi hæretici damnati 1. Ursacius & Valens Ariani. 2. postulante Athanasio Auxentius Mediol. Episc. occultè Arianismo favens. 3. S. Basilio ad Damasum Legato urgente Apollinistarum hæresis Christi humanitatem sublata anima destruens, circa ann. 373. proscribitur. Præter hæc Valentiæ in Gallia Concil. celebratum circa ann. 374. Aquiliense item Synodô Palladius & Secundianus Arianismi convicti & damnati sunt. In Cæsaraugustana Priscillianus Hispanus cum suis circa ann. 380. postquam Romæ à Damaso ne ad conspectum quidem admissus fuisset, erroris, quo præter cætera Christum veram carnem assumpsisse negabat convictus & damnatus est. Ubi inter cetera Can. 3. dicitur *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam in Ecclesia non sumpsisse, anathema sit*, Priscillianistæ enim acceptam Eucharistiam (utique sub solâ panis specie.) solebant domum deferre. Hæc duo ultima sub Damaso Pontif. post Constantinop. Concil. celebrata. Acta Arianorum Summorum Pontif. & Athanasii cum Ecclesia Catholica contra illos claudant. Sequuntur.

XII. Romana.

Concilia Particularia à Constantinopolitano Generali celebrata, juxta relationem Jac. Masenii Med. Conc. p. 350.

In his inprimis eminent quæ Carthagine in Africa sub Siricio, aliisque Pontif. celebrata.

Concilia Particularia à Constantinopolitano habita.

I. Concilium *Arelatense* 2. sub Siricio. anno. 389. in Gallia. In quo & Photini hæresis & Bonosi, qui Deiparam Virginem post partum negabat, perstringitur.

1. Conc. Arelatense.

II. Concilio *Mediolani* coacto circa ann. 390. Siricius Pontif. datis literis ad Episc. Galliæ vicinarumque Provinciarum. Jovinianum examinari & condemnari fecit. Hujus errores describit S. Hieron. L. 2. cont. Jovin. docebat *Virgines Viduas & maritatas quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent ceteris operibus ejusdem esse meriti. Et eos qui plena fide in baptismate renati sunt à diabolo non posse subverti.* Inter *abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione sumptionem eorum nullam esse distantiam? Esse omnium qui suum baptisma servaverunt, unam in regno Coelorum remunerationem.*

2. Mediolanense.

III. *Taurinense* anno. 397. sub Siricio celebratum.

3. Taurinense.

IV. *Hipponense* in Africa pro firmanda contra Donatistas Ecclesiæ disciplina est institutum sub Siricio anno. D. 393. In quo

4. Hipponense.

Augustinus adhuc Presbyter de fide & Symbolo disputans summa laude comparuit ut habet Possidonius in vita l. 7. hujus Canon. in Carth. anno. 397. continentur.

5. Carthaginense II. V. Concilium *Carthaginense II.* sub anno Christi 227. censetur quòd tamen ordine temporis post sequentia ad Celestini Pontificatum rejiciendum Baronius existimat, quòd à Genadio Episcopo unâ cum Aurelio, ubi Augustinus cum Valerio sederat, celebratum illic fuerit. Est autem inter celebriora ejus ævi concilia ob Ecclesiasticam disciplinam quæ inter hæreses labefactata erat, instauratam, suamque à Rom. Pontificibus approbationem habet ut Leo IV de libellis d. 20. Adducit Jac. Masen. ex hoc Concil. aliquos Canones, facta adversione aliqua, ad Magdeburgensium eos citantium fidem, quibus hic non immoramur.

6. Carthaginense III. VI. Concil. *Carthaginense III.* circa ann. 397. adhuc sub Siricio, ita est celebratum, ut antehac statuti Canones vel recolerentur, vel novis etiam pro Ecclesiæ disciplina augerentur. Cujus etiam plures Canones citat Jac. Masen. Est autem subscriptum ab Aurelio Episc. Carthag. & D. August. Hippon. aliisque. In hoc Concilio inquit Jac. Masen. variique ordinandorum ritus præter cetera, præcipiuntur observandi. Ex quibus aliquos adducit ex Conciliorum Lib. quia inquit Magdeburg. sæpius textum corrumpunt. Nos eos omittimus, quia minus ad nostrum propositum spectant.

7. Carthaginense V. VII. Concil. *Carthaginense V.* titulo, sed revera *III.* circa tempora Anastasii, eodemque quo ante superius forte anno ab Episcopis 70. celebratum; in quo præcipuè Can. 3. Usus uxorum Clericis prohibetur id quod etiam liquidò ex August. constat, qui huic Concilio interfuit Lib. 2. de adult. conjug.

8. Toletanum. *VIII.* Concil. *Toletanum I.* sub Anastasio Pont. ann. 400. ubi præter cetera eadem de continentia Clericorum &c.

9. Milevitanum. *IX.* Concil. *Milevitanum I.* sub Innocentio ann. 402. habitum ubi causæ aliquot Episcoporum examinatæ. ann. quoque 405. multa Concilia in Africa habita.

X. Ibidem ann. 416. sub eodem Innoc. Pont. contra Pelagium ejusque sectatores varii Canones de necessitate gratiæ potissimum editi.

XI. Concil. *Telense* in Africa ann. 418. Pontif. Zosimo, in quo decretalis Epist. Siricii Pont. prælecta, ut juxta illius constitutiones Ecclesiæ disciplinam formarent.

XII. Concil. *Carthaginense VI.* ann. 419. sub Zosimo Pontif.

cœptum

cœptum per ſexennium interpolatis viribus ſub Bonifacio & Cæleſtino Pontif. continuatum.

Addo hic ex Maimbourg (Tract. Gallico de vera Eccleſia Jeſu Chriſti ſect. 7. quo probat plures dari articulos fidei, qui ſunt definiti ſine Concilio Univerſali) circa hæreſim Pelagii, quâ, ait, vix dari ſubtiliorem & magis damnoſam Eccleſiæ, utpote, quæ evertebat ipſum fundamentum Religionis Chriſtianæ, negando neceſſitatem gratiæ Jeſu Chriſti, & peccatum originale; quo negato reparatio mundi non fuiſſet neceſſaria. Hæc doctrina condemnata fuit antequam agitaretur in aliquo generali Concilio: Epiſcopi enim Carthaginis & Numidiæ contrarium habentes ſenſum fidei Orthodoxæ, exſpectabant deciſionem Papæ Innocentii. Hinc S. Auguſt. ſcribens S. Hilario de hac nova hæreſi ep. 94. ait. *Sed nondum evidenter ab Eccleſia ſeparata eſt, hoc eſt nondum aperte pro hæretica habita à tota Eccleſia: verum ut primum Innocentius Pont. contra illam ſuam conſtitutionem fecit promulgari, quæ cum tanto plauſu totius Chriſtianitatis recepta fuit, extemplo dogma Pelagii habitum univerſaliter omnino pro hæretico.* Unde S. hic Doctor ſermone habito ad plenum auditorium, declarando quod ſupremus Pontifex ad quem duo Concilia Africana miſſa fuerant definiverit contra Pelagium, addit hæc notatu digna verba. *De hac cauſa jam duo concilia (videlicet Carthag. & Milevitanum) miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam* (nim. Innocentium I.) *inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur* Serm. 2. de Verb. Apoſt. Ex quo infertur D. Auguſt. agnoviſſe ſummum Pontificem proponentem veritatem fidei de gratia Chriſti contra Pelagium unanimi conſenſu Conciliorum particularium conſpirante. Et condemnavit quidem hanc hæreſim, etiam aliquo poſt tempore Concil. Epheſinum, ſed id factum ſine aliqua exactiore diſcuſſione & tanquam errorem jam reprobatum per legitimum judicium, prout Patres id declararunt Literis Synodalibus datis ad Cæleſtinum Pontif. Hæc nimirum S. Sedes, inquit, porro Mainburg. prima fuit in decidendo hoc negotio quemadmodum id S. Proſper exprimit nobiliſſimè in ſuis verſibus Concil. Eph. Act. 5.

Hæreſis Pelagii damnata non per Concilium Generale.

Sed per Innocentii Pont. Conſtitutionem.

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis
Relligione tenet.

Hanc

Hanc insuper causam Pelagii ad arbitrium summi Pontificis ab Episcopis Africanis delatam fuisse testatur idem S. August. ad Innoc. Pontif. Ep. 95. *Pelagius*, inquit, *à Tua veneratione acciendus est Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam* &c. Et Possidonius in Vita D. August. de Innoc. & Zosimo Pontif. ait: *Illi tantæ sedis Antistites suis diversis temporibus eosdem*, (i. e. Pelagium & ejus asseclas) *notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes datis literis ad Africanas Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathemisandos & devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt.*

Certum itaque est quod hæresis Pelagii sit à summo Pastore Pontifice Rom. in particularibus Conciliis conspirante fidelium cœtu condemnata ante Concil. Ephesinum Generale.

Veniamus jam ad Seculum V.

V. SECULO.

NOva è tenebris emersit hæresis Autore *Nestorio* Episcopo Constantinopolitano, qui duas Christo D. Personas, divinam & humanam tribuens, D. Virginem negabat esse θεοτόκον seu Deiparam, sed Christiparam appellandam volebat. Igitur I. contra hanc hæresim habitum Concilium generale Ephesi sub Cælestino I. Pontif. & Theodosio Juniore Imper. unà cum Valentiniano ann. D. 431. Cyrillo Episc. Alexandrino Vice Cælestini Pontif. præsidente. In quo demum autoritate summi Pontificis conspirante Concilio definita & proposita est Veritas fidei Orthodoxæ contra Nestorium quòd in Christo Domino una solum sit Persona Verbi Dei, & quòd D. Virgo verè sit θεοτόκος Deipara, de quo Concil. supra diximus.

II. Concil. Chalcedonense Generale contra Eutychetis hæresim.

II. Eodem Seculo orta est alia hæresis autore *Eutyche*, Monacho, quo defuncto revixit in Dioscoro Episcopo Alexandrino docentibus in Christo post Incarnationem unam tantum esse Naturam. Contra quem institutum generale Concilium Chalcedonense 630. Patrum Leonis Pontificis autoritate & Martiani Imperatoris studio A. C. 451. ut dictum supra. In hoc Concilio proposita & stabilita est hæc Veritas fidei tanquam à Deo revelata, quòd scil. In Christo D. post incarnationem duæ sint Naturæ Divina & Humana.

Hæc solum duo Generalia Concilia celebrata sunt hoc seculo.

Par-

Particularia plura: ex quibus aliqua recensebo.

Concilia Particularia Seculi. 5. Concilia particularia hujus Seculi. I. Ephesinum.

I. IMmediatè post Ephesinam Synodum *Antiochiæ* coegit Joannes ejus loci Episc. in quâ Sixto Rom. Pontif. probante Nestorium damnavit, & sic cum Cyrillo & Imper. Theodosio in gratiam rediit. In alia Armeniæ Synodo Nestorii libri ad flammas damnantur.

II. Concil. *Romanum* sub Sixto Pontif. ut habent Magdeb. congregatur ut Polychronii Episc. Hierosolymitani causam cognosceret, quem Euphemius primatum in Oriente affectasse accusabat, Presbyteris & Diaconis pretio accepto ordinatis. Decretum igitur est, ut tres Episcopi ad causam cognoscendam in Orientem mitterentur, Castus, Felix, & Abundius. Hi congregatis Hierosolymis 76. Episc. cùm consedissent, Euphenium primò damnârunt, quòd probare delata omnia non posset. Deinde & Polychronium, quòd Victorem Diaconum ordinasset & pro 10. librarum pretio consecrasset Ecclesias, subscripsit damnationi tota Synodus & Valentinianus Augustus & Sixtus Pontif. ita Magdeb. Cent. 5. 6. 9. II. Romanum.

III. *Arausicanum* I. Celebrius sub Leone I. Pontif. & Theodosio Juniore circa ann. 441. habitum est, & à Leone approbatum. III. 3. Arausicanum. I.

IV. *Arausicanum II.* sub eodem Leone. In quo aliqui Canones doctrinam hodiernam Catholicam exprimunt manifestè præsertim Canon. 10. 11. 12. 13. 18. quos Jac. Masen. citat ex Magdeburg. IV. Arausicanum II.

V. *Constantinopolitanum I.* particulare Concil. sub Leone Pontif. celebratum ann. 448. contra Eutychem Archimandritam Eusebio Doryleo Episcopo urgente. De qua sic in Sess. 6. Magdeburg. p. 516. apud Jac. Masen. Cum negasset Eutyches duas Personas, se in Christo naturas dicere, ideò quòd in Scriptura ejusmodi loquendi forma non sit definita, opposuit Mamas & Theophilus: neque Homousii usitatam vocem expressam esse in Scripturis, sed à SS. PP. ita expositam. Eandem igitur legem & rationem esse de duabus Naturis. Sess. 7. Eutyches respondet Confiteri se duabus Naturis fuisse Dominum ante Incarnationem, post eam verò unam duntaxat in eo confiteri naturam. Quod dogma damnare à Synodo jussus. Neque in S. Scripturis ait inveniri, neque Patres om- V. Constantinopolitanum. I.

nes sic dixisse. Non igitur se posse SS. Patribus anathema impingere. Ab universa igitur Synodo acclamatur Anathema Eutychi, &c. summam denique damnationis Flavianus (Synodi Præses) ad Leonem Pontificem Romam misit, ubi in cæteris hæc verba leguntur. *Laborandum pro fide, & expositionibus, dogmatibusque SS. Patrum, quatenus per omnia & inter omnes concussiones rerum integra hæc & inviolata salventur & custodiantur* &c. *Commotus itaque Sanctissime Pater* &c. *decernere damnationem adversus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare* &c. *Causa enim solummodo vestro solatio atque defensione, quâ debeatis consensu proprio, ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit & turbæ quæ propter eum factæ sunt facillimè destruentur.*

VI. Concilium prædarorium dictum.

VI. Eutyches itaque damnatus & depositus in præcedenti Concilio opera & favore deinde usus Dioscori Alexandrini per eundem absolutus est in Ephesina II. Synodo ann. 449. quæ prædatoria & profana cognominata, eò quòd in illa factione Dioscori Flavianus Episc. Constant. necatus, Legati S. Leonis M. Pontif expulsi, & Eutychetis hæresis confirmata: ast hoc conventiculum à Leone Pontif. est reprobatum, cui Patres Chalcedonensis Concilii generalis accesserunt, quòd paucis post interjectis annis scil. 451. celebratum.

VII. Concil. Agathense.

VII. Ex recensione Magdeburg. apud Jac. Masen. Concil. particulare *Agathense* in Gallia Narbonensi tempore Alarici Regis Gothorum. Ex quo aliquos Canones circa sacra, & Clericorum Monachorumque statum annotat Masen. atque in hoc finem facit enumerandi Concil. particularia.

VIII. Andegavense Arelatense &c.

VIII. Nihilominus tamen à Jac. Gaulterio recensentur plura. ut Concil. *Andegavense* in Gallia ann. 453. nuper (inquit ille) in lucem editum à R. P. Frontorio Ducæo Societ. Jesu Theol. *Arelatense III.* ann. 453. sub Leone I. approbatum communi usu Ecclesiæ. Concilium *Veneticum* in Britannia sub eodem Leone I. eodem an. *Arausicanum II.* eodem ann. præsidente Cæsario Arelat. Episc. *Carpentoractense*, *Vasatense* 2. *Romanum*, *Turonense*.

IX. Romanum Constantinopolitanum &c.

IX. Sed inter hæc præcipua *Romanum* ann. 483. sub Felice II. habitum de negotio Acacii Episc. Constant. *Constantinopolitanum* eodem ann. contra Petrum Fullonem cognom. Cnaphæum Episc. Antiochenum intrusum & hæresiarcham.

Aliud

Aliud item *Romanum* eodem ann, contra Vitalem & Misenium Episc. hæreticorum fautores & contra Acacium hæreseos damnatum in præterita Rom. Synodo.

Aliud item *Romanum* sub Gelasio Papa. ann. 494. a 70. Episc. pro fidei conservatione & pace Ecclesiæ.

Insuper aliud *Romanum* ab eodem Gelasio habitum ann. 495. in absolutione Misenii pœnitentis.

Denique adhuc *Romana* duo sub Symmacho Papa ann. 499. & 500, quæ ut reliqua præsentibus Romanis Pontificibus celebrata, deque eorum ante autoritate convocata & absoluta pro Canonicis & approbatis habet Ecclesia.

Notandum quoque est quòd hoc seculo Manichæorum hæresis sit ab Ecclesia damnata, & veritas fidei Catholicæ contra illam firmata, non aliter quàm per *S*ummos Ecclesiæ Pastores Pontif. Romanos, ceteris subordinatis Pastoribus Episcopis & Christi-fidelibus ceu ovibus unanimiter conspirantibus. Hinc sub Leone ann. 443. plurimi Manichæi occulti Romæ detecti, operâ ejusdem Pontif. qui autor eisdem fuit suos ut errores spurcissimos damnarent Libris qui permulti erant damnatis. Quod ipsum iteratò factum sub Gelasio ann. 496. illis condemnatis, relegatis, eorumque libris incendio traditis Romæ. testatur Matth. Palm. Genebr. Ciac. apud cit Gault. Col. 11.

Hoc seculo V. Manichæorum hæresis ab Ecclesia damnata per summos Pontifices.

Notandum 2. Nihil hoc seculo sicut & aliis vel contra hæreticos aut discolos definitum, vel pro Ecclesiæ bono ordine & pace constitutum absque cura & opera sententia & directione summorum Ecclesiæ Pastorum Romanorum Pontificum. Nam ut ex Gaulterii Chronologia Eccles. aliqua adducamus. Innocentius I. Excommunicatis primum ob Tyrannicam S. Joannis Chrysostomi insectationem Imperatori Arcadio, Uxorique Eudoxiæ ubi sese humiliter demiserunt & pœnitentiam egerunt absolutionem impertiit. Exauctoravit Arsacium hæretice S. Chrysostomo subrogatum etiam post ejus mortem unà cum omnibus Episcopis illi faventibus.

Per eosdem multa contra Hæreticos aut discolos, pro ordine & pace Ecclesiæ constituta.

Innocentius I. D. Joannem Chrysostomum protegit.

Huic successit Zozimus Græcus qui S. Augustinum, aliosque Episcopos misit Cæsaream Mauritianæ ad non nullas controversias Ecclesiasticas terminandas. Misit quoque tres Legatos à latere Carthaginem, pro iis qui sedem Apostolicam appellant.

Zozimus S. Augustinum ad terminandas controversias Ecclesiasticas mittit Cæsaream.

Post hunc Bonifacius I. accepta à Clero Valentiæ Gallicanæ ac-

 cu-

Bonifacius I. contra Manichæos causam septem Provinciarum Episcopis committit.

Patroclus Episcopum reprimit.

Duas Epistolas Pelagii contra Eccles. Catholicam scriptas S. Augustino refutandas commendat.

cusatione Maximi Episcopi Manichæi, cognitionem ejus commisit septem Provinciarum Episcopis, ut constat. ex epist. ejus ad 13. Junii data. Idem Patroclum Episcopum repressit, quod Arelatensem Cathedram iniquè invasisset, & jus aliquod Narbonensis Metropolis temerè usurpasset. Baron. ann. 418. 419. Duas quoque Epistolas Juliani Pelagiani hæresibus & calumniis adversus Ecclesiam Catholicam plenas unam Romam, alteram Thessalonicam missas ad S. Augustinum, ut ad eas responderet curavit perferendas quod & S. August. præstitit iis libris quos adversus Julianum Pelagianum exaravit, & Bonifacio nuncupavit Ciac. in Bonifacio I. apud Gaulterium.

Cælestinus cum Concilio I. Ephesino subvertit errorem Nestorii.

In Angliam mittit tres Episc. ad fideles in fide contra Pelagium confirmandos.

Scribit ad Ecclesiam Viennensem & Narbonensem.

Cælestinus I. huic surrogatur. Cui S. Augustinus Epist. 261. de electione pacifica gratulatur, eumque obsecrat, ut cuidam difficultati cum periculo conjunctæ remedium adhibeat. Sub eo deque ejus consensu celebratum est Concilium I. Ephesinum, subversusque error Nestorii. In Angliam misit tres Episcopos S. Germanum Altisiodorensem, S. Lupum Trecensem & S. Severum Trevirensem ad fideles in fide contra Pelagii impietatem confirmandos. Scripsit ad Ecclesiam Viennensem & Narbonensem illud inter cetera prohibens ne alium personarum Ecclesiasticarum habitum introducerent, nisi quem majores docuerunt, & factitarunt apud eundem.

Sixtus III. Ephesini Concil. Decreta confirmat.

Calumniam ab Anicio Basso passus mo-

S. Sixtus III. in Cælestini locum suffectus Concilii Ephesini Decreta quamprimum confirmavit, Nestorium ad pœnitentiam adhortatus est. Turpem ab Anicio Basso calumniam passus, judicium sua sponte ad Synodum remisit, quæ illum absolvit, & Bassum damnavit, quem Dei nutu post tres menses vita functum Sixtus ipse lineis involvit, conditumque in Ecclesia S. Petri atque adeò in Antecessorum suorum Camera propriis manibus sepelivit.

Hujus successor Leo I. cognomento Magnus natione Tuscus ex Diacono Papa creatus est post dies 42. cujus postulatione Valentinianus Imperator scripsit ad Aetium, suæ in Gallia militiæ Magistrum præclaram admodumque memorabilem autoritatis Papæ declarationem: in qua inter alia de quodam Papæ decreto sic ait. *Erat ipsa quidem sententia per Gallias etiam sine Imperiali Sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis autoritate in Ecclesias non liceret?* Et paulo post, *hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum contra consuetu-*

ſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ Urbis æternæ autoritate tentare: ſed illis, omnibuſque pro lege ſit quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis autoritas, ita ut quiſquis Epiſcoporum ad Judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur per omnia ſervatis, quæ Divi Parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.

Poſt hunc S. Hilarius ad Eccleſiæ adminiſtrationem electus. Victorino Aquitano omnium ſui temporis computiſtarum eruditiſſimo mandavit novum ut Cyclum Paſchalem ederet. Palam & elata voce in Eccleſia S. Petri Anthemium Imperatorem jurejurando promittere compulit, nulla nova ſectarum conventicula quæ Macedoniani obtrudere conabantur Romæ eſſe futura. S. Simplicius ubi decem effluxere dies ſucceſſor ejus fuit. Jus ordinandi Gaudentio Epiſcopo abrogavit, illudque proximo Epiſcopo delegavit ob nonnullas ordinationes perperam factas illique redditum, Eccleſiaſticorum adminiſtratione, quod eos malè diſpenſaſſet planè interdixit.

S. Felix III. Presbyter Rom. S. Gregor. M. proavus ſexto poſt die in ſede collocatus Acacium quod Chalcedonenſe Concilium prodidiſſet ſtrenuè inſectatus eſt, quem tamen ad Eccleſiam reducere ſtuduit.

S. Gelaſius I. Africanus poſt hoc nominatus Concilium ſeptuaginta Epiſcoporum Romæ habuit, ubi multa conſtituit pro autoritate dignitate & puritate fidei Romanæ, decretumque de Scripturis S. de Concil. ac Scriptoribus Eccleſiaſticis probatis quibuſdam, aliis verò damnatis nonnullis, denique inter apocrypha relictis.

Anaſtaſius II. Romanus huic ſubrogatus Legatos ad Anaſtaſium Imper. miſit ad delendum Acacii nomen, unionemque Eccleſiæ procurandam.

Denique celeberrimi hoc ſeculo ſcriptores tam Latini quam Græci Joan. Chryſoſt. Auguſtinus, Innocentius I. Papa, Paulinus Nolanus, Iſid. Peluſiota, Vincent. Lirinenſis, Leo M. & manifeſtè comprobant veritatem Catholicam quam hic propugnamus. Longum foret eos recenſere. Lectorem remitto ad Gaulter. citatum in V. Seculo.

VI. SECULO.

Habitum Concilium generale *Conſtantinopolitanum II.* contra Origeniſtas, contra Epiſtolam Ibæ ad Marinum Perſam, con-

deſtè fert, judicio aliorum vincit, vitâ functum ſepelit.

Leo I. Magnus à Valentiniano effecit Epiſtolam ad Aetium in Gallia militiæ Magiſtrum, Autoritatis Papæ declarativam.

Hilarius Victorino Aquitano novum Cyclum Paſchalem edendum demandat.

Nova conventicula hæreticorum Macedonianorum Romæ celebranda tollit.

Simplicius jus ordinandi Gaudentio Epiſcopo abrogat.

Felix III. Acacium Chalcedonenſis Concilii proditorem inſectatus, ad Eccleſiam reducere ſtudet.

Gelaſius I. Concilium Romæ 70. Epiſcoporum

contra scripta Theodoreti Episcopi Mopsuestiensis. ann. 553. sub Vigilio P. approbatum ab eodem & à Pelagio P. receptum Bell. Baron. Azor apud Gaulter.

habet in Ecclesiæ bonum. Anastasius II. Acacii nomen delendum, Unionemque Ecclesiæ apud Anastasium Imper. procurat.

Particularia verò plurima celebrata sunt, quorum pleraque communi usu Ecclesiæ recepta, ut *Agatense* in Aquitania ann. 506. *Aurelianense* I. à Rege Clodovæo ann. 507. *Epaunense* seu *Agaunense* ann. 509. *Tarraconense* ann. 516. *Gerundense* ann. 517. *Herdense* in Hispania sub Joan. I. Papa ann. 524. *Herdense* ann. 524. in Hisp. *Valentinum* ibidem ann. 525. *Toletanum II.* ann. 531. Vide reliqua plura apud Gaulter ad ann. 600.

VI. Seculum. In hoc Concil. generale Constantinopolitanum II. contra Origenistas &c. habitum. Particularia plura celebrata.

Hisce Conciliis de Rom. Pontificum sensu & consensu quædam pro Ecclesiæ bono ordine statuta, partim discolis & refractariis fræna imposita.

Qualiter autem hæc Concilia particularia cum Summo Pontifice Romano convenerint testatur Concilium IV. *Aurelianense* c. 1. postquam statuit *ut Pascha ab omnibus Presbyteris eodem tempore celebretur juxta Victoris Papæ Decretum*, decernit insuper *ut quotiescunque aliqua de hac solemnitate suboriretur dubitatio, Metropolitani sedem Apostolicam consulant, observeturque id quod sedes Apostolica constituerit.* Item

Concilium *Turonense* II. c. 21. ubi Decretum quoddam Innocentii Romani Pontificis protulit, de eo statim subjungit: *Quis Sacerdotum contra Decreta talia quæ à sede Apostolica processerunt, agere præsumat?* Postquam autem dixit: *Sedis Apostolicæ semper fuisse aut intromittere authores quorum valere possit prædicatio, aut apocryphos facere;* Statim addit: *Et Patres Nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit autoritas. Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit in Canonibus nostris inserentes: statuamus observandum, ut nullus sacratam Dei Virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere aut competere, aut sibi conjugem sociare præsumat.*

Concilium I. Bracarense cap. 22. *Placuit ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quomodo Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ sedis authoritate suscepit scriptum.*

Romanorum Pontificum cum Ecclesia consensus, hujusque cum illo Seculo VI.

Qualis porro fuerit Romanorum Pontificum cum Ecclesia nexus ac consensus ceu Capitis cum corpore, Pastoris cum ovibus, tam in fidei quàm morum rebus, hocce seculo patet tum ex vitis Pontificum ac Imperatorum, tum ex ipsis Conciliis particularibus.

Nam

Nam inprimis *Symmachus* Sedit in Cathedra Romana ann. 498. tum Concilii tum Regis Theodorici autoritate interposita. Cùm verò animadverteret se ab Anastasio Imperatore minimè accipere literas, quas solent Imperatores dare ad Summos Pontifices recens creatos, illum graviter admonet uti ab hæreticorum communione, protectioneque desistat, tandemque ex Communi Episcoporum quartæ Synodi Sententia excommunicat. In qua Synodo & ipse inimicorum suorum Schismaticorum calumniis liberatur. Testatur de eodem Genebrardus ann. 500. 515. Manichæis Româ pulsis, horum libros & simulachra curasse palam concremanda, apud Gaulter. Symmachus.

De *Hormisda* testatur Baron. & alii apud Gaulterium eundem eo evecto pace Romanæ Ecclesiæ utraque divisionis parte ad novi Pontificis creationem reconciliatam. Hic etiam de more Literas quamprimum scripsit ad Orientales, tuendæ fidei pacisque gratiâ. Hormisda.

Joannes I. Hormisdæ successor cùm à Theodorico Rege Ariano Constantinopolim ad Justinum Imperatorem proficisci compulsus fuisset, Constantinopolim appropinquanti obviam cum Cereis & Crucibus ad duodecim millia passuum processisse Universam Civitatem in honorem SS. Petri & Pauli, ipsum Imperatorem Justinum in terram procidisse coram Pontifice, scribit Anastasius Bibliothecarius. Joannes I.

Joannes II. Suo Episcopatu spoliavit contumeliosum in Gallia Episcopum, hujusque Ecclesiam S. Cæsario Arelatensi Episcopo commendavit. Joannes II.

Ad *Agapetum* suæ confessionem fidei misit Imper. Justinianus (eandem scil. quam ante ad Joannem II. miserat) suam ab ipso confirmationem petens. In qua præclara hæc Romanoque Pontifice ac sempiterna recordatione digna (inquit Gaulterius) sententia, *Firmamus, laudamus, amplectimur, non quia Laicis autoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum Nostrorum Regulis conveniens confirmamus atque roboramus.*

Sed demum ut ceteros taceam *S. Gregorius I.* magnus Pontifex Summus electus cum Hæreticis & Schismaticis fortiter dimicavit, se testans admittere, & revereri quatuor prima Concilia sicut 4. Libros S. Evangelii L. 1. ep. 24. Joannis Episc. Constantinopolitani arrogantiam repressit sese Patrem Oecumenicum, id est, universalem in mundo Patrem nuncupantis, quasi non alius in mun- S. Gregorius M.

mundo esset Pontifex sed alii omnes ejus essent simplices Vicarii. Quem titulum ne ipse quidem Romanus Pontifex sibi unquam eo in sensu attribuit. Quinimo ipsa Joan. Constantinopolitani arrogantia S. Gregorio ansam præbuit se ipsum appellandi *Servum Servorum Dei*, quod ex eo tempore ejus successores omnes retinuerunt & factitarunt. Ciac in Greg. ann. 595. Plura ejus præclarè gesta in bonum Ecclesiæ enumerat compendio Gaulterius. Inter quæ illud præcipuum quia Anglia paternâ planè ejus curâ conversa est misso eò S. Augustino Cantuariensi Episcopo, atque ob hanc causam *Apostolus Angelorum* appellatus.

Imperatorum cum Pontificibus Romanis Seculo VI. consensus præcipuè Justini & Justiniani.

Ex Imperatoribus hoc Seculo cum Summo Romanorum Pontifice sigillatim consentiebat *Justinus*: ille enim ad Papam Hormisdam retulit quæstiones quas Episcopis hæretici illi obtulerant dirimendas Baron. ann. 526. Joanni Hormisdæ successori Hierosolymam ingredienti obviam fit ann. 525, inque terram prostratus Veneratus est, & lætitiâ perfusus ipsa illius manu coronari voluit. Ibidem.

Justinianus quoque quâ concordiâ consentiebat cum Pontifice Romano sat superque testatur ejusdem Codex Lib. 1. de Summa Trinitate & fide Catholica Tit. 1. Item in Epist. responsoria Joanni Papa quæ omnia fusius citata à nobis Scrutinii Veritatis fidei Parte 2. p. 257. ubi inter alia vocat *Pontif. Sanctissimum almæ Urbis Romæ Archiepiscopum & Patriarcham*, aitque *festinasse se omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent ad notitiam deferre suæ Sanctitati*. Item *magnum studium fuisse sibi servare unitatem Sedis Apostolicæ Romanæ, properasse se eidem Sedi Sacerdotes Universi Orientalis Ecclesiæ tractûs subjicere & unire*. Ibidem *Romanum Pontificem Caput omnium Sanctarum Ecclesiarum* vocat.

Ex his igitur patet hoc seculo Ecclesiam Catholicam ita constitutam fuisse, ut in credendis tenendisve articulis fidei mutuo consensu conspiraverit Pontifex Romanus cum reliqua Ecclesia, hæc cum illo tanquam membra cum Capite, oves cum Pastore: adeoque Veram esse Assertionem nostram Catholicam, quòd illud sit verè à Deo revelatum, quod Ecclesia Catholica proponit per Pontificem Romanum unanimi cum reliquo Ecclesiæ consensu verè à Deo revelatum esse.

VII. SECULO.

PRæcipuus in Ecclesia error è tenebris emersit *Monothelitarum*, cujus autor fuerat Cynis primum Patriarcha Alexandrinus quem secutus Sergius pseudomonachus etiam pro Magistro Monothelitarum habitus, qui in Christo D. non *duas Divinam & Humanam*, sed *unam solùm esse Voluntatem* docebat. VII. seculo hæresis Monothelitarum exorta.

Hæc pestifera hæresis non extemplò per Concilium generale est reprobata & damnata: sed inprimis decretis summorum Pontificum, tum & Conciliis particularibus, ac tandem Concilio generali.

Primo namque *Severinus* ann. 639. sedens expositionem à Sergio sub Imperatoris nomine promulgatam damnat. Baron. 639. apud Gaulter. Idem præstitit & *Joannes IV.* 640. *Martinus I.* ann. 649. à Pontificibus Romanis primum rejecta.

Conciliis deinde particularibus hæc hæresis reprobata est. Fuit autem.

1. *Romanum* ann. 640. sub *Joanne IV.* habitum contra ἔκθεσιν seu expositionem Imperatoris Heraclii Monothelitarum fautoris, quæ expositio postea τυπὸς seu Typus à Constante 11. dicta.

2. *In Numidia* sub Columbi primatu adversus Monothelitas. an. 646.

3. *Carthaginense* adversus eosdem, eodem anno.

4. *Byzacenum* in Africa contra eosdem ann. 646.

5. *In Mauritania* contra eosdem eodem anno sub Primatu Reparati.

6. *Toletanum VII.* ann. 646. sub Theodoro Papa, quem alias Episc. Cypri in literis Synodalibus ad eum datis *Papam universalem* appellant & *Patrem Patrum.*

7. *Romanum* ann. 648. à Theodoro Papa convocatum contra Paulum Episcopum Constantinopolitanum Monothelitam.

8. *Romanum* aliud alias dictum Lateranense sub Martino I. ann. 649. congregatis Episcopis 105. vel ut alii 110. partim ad damnandos rursum Sergium, Pyrrhum, & Paulum Monothelitas, partim ad anathematizandam novam credendi formulam ab Imperatore Constante propositam in gratiam Monothelitarum.

9. Concilium *in Anglia* celebratum contra Monothelitas sub Agathone Papa ann. 679.

10. *Mediolanense* contra eandem hæresim, eodem anno.

11. *Romanum* 125. Episcoporum contra eundem errorem. ann. 680.

His igitur particularibus Conciliis priùs dicta hæresis est damnata. In quibus summus consensus primi Ecclesiæ Pastoris, cum subordinatis Episcopis, atque ceteris Christi-fidelibus in rejicienda hac hæresi, idque in tam dissitis ac diversis partibus mundi declaratur.

Tandem & à Concilio Generali.

Tandem variis his Conciliis velut tonitru ac fulgore præcedente, fulmine Concilii Generalis hæc hæresis icta. Est autem illud.

Sexta Synodus Generalis *Constantinopolitana III.* sub Agathone Papa contra Monothelitas 7. Novemb. ann. 680. inchoatum. In quâ quidem nulli Canones constituti sunt: Nam etsi illi 102. Canones attribuant, aliqui tamen revera multis post annis compositi sunt ab Episcopis Orientalibus sine sedis Apostolicæ autoritate congretatis in Trullo, quæ est pars Constantiniani Palatii; unde & Trullani dicti sunt. Quod ipsum Concil. etiam erraticum dictum. Uti & Quini Sextum, quòd cum à Quinto & Sexto generali diversum sit, falso illis attribuit 102. Canones à se compositos. Reprobatum verò est à Sergio Papa tunc sedente. Illi tamen Canones etsi nullius sint ex sese autoritatis, postea tamen illorum nonnulli à summis Pontificibus, legitimisve Conciliis approbati fuere, ut planum est ex Canone 82. quem constat receptum esse tum ab Adriano Papa tum à Synodo generali.

Hanc porro Synodum autoritate Papæ Romani stabilitam esse manifestè patet: nam in prima subscriptione Actionis 17. hæc verba habet: *Theodorus humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi universalis Papæ Urbis Romæ subscripsi.* Eandem subscriptionem invenies in Actione decima octava ad verbum iteratam. Multis autem interjectis, hoc est, post medium sermonis acclamatorii ad Imperatorem Constantinum *IV.* de S. Petro, deque ejus successore S. Agathone, sic ait Concilium: *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem & sedis successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti mysterium illustrantem per literas. Confessionem tibi à Deo inscriptam, illa Romana antiqua civitas obtulit & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit. Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur &c.*

Cum eodem Papa consensum totius Ecclesiæ tunc fuisse testatur Imperator Const. *IV.* in sua Divina jussione ad Synodum Apostolicæ

licæ ſedis antiquæ Romæ directa, qua extat una cum ſexta Synodo generali, in tomo 3. Conciliorum: *Omnes conſonanter mente, & linguâ concredimus, & ſimiliter confeſſi ſumus: & tanquam ipſius divini Petri vocem, Agathonis relationem ſupermirati ſumus.*

Hinc itaque patet Veritatem hanc quòd in Chriſto D. ut ſunt duæ diſtinctæ naturæ divina & humana, ita & diſtinctæ voluntates Chriſti fidelibus credendam, propoſitam eſſe verè à Deo revelatam non aliter quàm per Eccleſiam, id eſt, per Pontificem Romanum primum quidem abſque generali in particularibus Conciliis cum eodem tanquam membris cum capite, ovibus cum Paſtore conſpirantibus. Deinde autem & in Concilio generali. Vera itaque eſt noſtra Catholica aſſertio ſupra poſita.

VIII. SECULO.

PRæcipuum quoddam ac ſingulare (ut ait Gaulter.) bellum dictis & factis illatum eſt *Sanctis imaginibus*. Porro error hic Magiam, Judaiſmum, & Mahometiſmum teterrimos habuere progenitores, teſte Damaſceno V. Iconoclaſtæ Sand. 130. Prateolo V. Iconoclaſtæ. Hinc ab hac oppugnatione Imaginum Sacrarum dicti ſunt hi hæretici *Iconoclaſtæ* & *Iconomachi.* Quanquam & ſuperioribus Seculis nim. *IV.* à Juliano Apoſtata, & V. à Xenaia permulta adverſus S. Imagines impie & nefariè prolata ſuſceptaque ſint, hoc tamen Seculo acrius longè oppugnatæ.

Iconoclaſtæ ſeu Iconomachi hæretici dicti ab oppugnatione cultus S. Imaginum.

Præcipui ex oppugnatoribus imaginum, erant Imperatores Conſtantinopolitani. Primus Leo *Iſauricus III.* qui etſi quidem initio ſuſcepti imperii Confeſſionem fidei ad Romanum Pontificem Gregor. II. Romam ex more miſit, qui eum ut Eccleſiæ filium benignè excepit, reddiditque literas ad eum Catholicæ communionis. Nihilominus poſtmodum ſub ann. 723. eandem deſeruit & Iconoclaſtis adhæſit: damnaque varia Eccleſiæ Catholicæ ab hoc tempore intulit, maximè in odium S. Imaginum.

Præcipui oppugnatores ex Imperatoribus Conſtantinop. Leo Iſauricus III.

Secundus *Conſtantinus* Leonis filius, cognomento *Copronymus* parentem hæretica impietate ſuperans, fæce nefanda luxuriæ, odio implacabili in Virginem Deiparam, in Monaſteria & Eccleſiam Univerſam, vitam tandem miſerè functus eſt ann. 775. inter cetera inclamans jam morti vicinus ſe *propter Mariam æternis addictum flammis*, illique deinceps præcipuum juſſit honorem deferri, & ut Dei Veram Matrem celebrari. Baron. ann. 775.

Conſtantinus Copronymus Leonis filius.

Tertius *Leo IV.* Patri ſuo Copronymo in imperio ſucceſſit, pri- Leo IV.

primùm quidem in B. Mariam propenſus apparens, mox tamen orta perſecutio, & odium quo proſecutus eſt imagines paternæ impietatis illum patefecerunt ſectatorem ann. 786. quo morte oppetiit ſanè memoratu dignum. Nam cum deperiret lapides pretioſos Magnæ Eccleſiæ voluit coronâ inſigniri, quâ capiti appoſitâ ecce ſupra caput carbunculos exoriri validæ adjunctos febri, quâ facile extinctus. Baron. ann. 780.

Hæc hæreſis inprimis per Pontif. Romanos extra & in Conciliis particularibus preſſa.

Hæc porro Hæreſis non extemplò in Concilio Generali repreſſa & extincta, ſed inprimis Pontifices Romani nomine totius Eccleſiæ ſeſe illi oppoſuere, tum & Concilia particularia, nam inprimis.

Gregorius II. ſive Junior rebus geſtis cum Gregor M. conferendus (ut ait Gaulter.) forti animo impietati Leonis Iſaurici Imperatoris reſtitit extra & in Conciliis particularibus, inter quæ numerantur præcipua.

1. *Romanum* ann. 721. ſub eodem Greg. II.
2. *Romanum* aliud ann. 726. ſub eodem pro ſacris imaginibus.
3. *Romanum* ſub Gregorio III. ann. 732. pro S. imaginibus.
4. *Gentiliacenſe* in territorio Pariſienſi ann. 766. vel 767. pro S. Imaginibus & SS. Trinitate. In quo etiam expreſſe definitum eſt Spiritum S. procedere à Patre & Filio.

Tandem & in Concilio Generali VII. Niceno II. damnata.

Tandem Synodus Generalis *VII. Nicena II.* ſub Adriano Papa contra Iconoclaſtas pro S. Imaginibus celebrata ann. 787. in qua hæc hæreſis prorſus damnata, idque non aliter quam cum certo reſpectu & ſubordinatione ad Pontificem Romanum ejuſque autoritate. Nam inprimis Legati Adriani Papæ in Actionis cujuſque initio dicuntur *Vicarii*, vel *vicem agentes*, vel *locum tenentes Apoſtolicæ ſedis.* Deinde Actione 6. poſtquam S. Synodus execrabilem, profanam, & adulterinam pronuntiavit pſeudoſynodum quandam Conſtantinopolitanam, quam hæretici Iconoclaſtæ pro ſeptima Synodo univerſali venditare ſatagebant, rationem condemnationis ſtatim ſubjungit. *Nam*, inquit, *qui in hac congregati fuere* (ut cum Propheta loquar Ezech. 22. 26.) *inter Sanctum & profanum non diſtinxerunt inter purum & impurum diſcrimen non ſtatuerunt, & imaginem enim D. Dei noſtri cum imagine ſimul Satanæ, idolum appellarunt. Quomodo autem magna & univerſalis, in quam neque omnes conſenſerunt, & reliquarum Eccleſiarum præfecti non admiſerunt, ſed anathemate eam devoverunt. Non habuit cooperarium, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius*

illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Provinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. In Act. VII. demum primi Legati Pontif. Rom. subscriptio his verbis exprimitur. *Petrus miseratione Divina Protopresbyter Sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ B. Petri, & locum retinens Adriani Papæ Veteris Romæ definiens subscripti.* Iisdem verbis proximè post utitur alter Legatus. Vide ibidem ipsam definitionem Synodi post medium. Ubi inter alia ait *His sic se habentibus Regiam viam incedentes & Sanctorum nostrorum, & Divinorum Patrum doctrinæ insistentes & Catholicæ Ecclesiæ in qua Sanctus Spiritus inhabitat Traditionem observantes definimus cum omni diligentia & cura venerandas & Sanctas Imagines &c. dedicandas, & in Sanctis Dei templis collocandas, habendasque* &c.

Patet itaque etiam in hoc Seculo VIII. errorem & hæresim de S. Imaginum cultu & veneratione rejectam ac damnatam, Veritatem autem Catholicæ fidei stabilitam per Summum Ecclesiæ Pastorem in & extra Concilia particularia: ac tandem in generali Unanimi consensu Episcoporum ac fidelium conspirante velut ovium cum Pastore, membrorum cum Capite.

Veritas fidei de cultu & Veneratione SS. Imaginum contra Iconoclastas per Romanum Pontif. cum Ecclesia stabilita. Imperatores Orthodoxi Constantinopolitani cum Rom. Pontif. conveniebant.

Quo etiam Seculo præter tres illos relatos Imperatores, & Philippum hæreticos, ceteri omnes orthodoxi singulariter cum Romanis Pontificibus conveniebant. Nam imprimis *Justinianus* ann. 703. honorificè Constantinum Pontificem Constatinopolim se conferentem ann. 710. excepisse fertur, prostratusque pedes ejus osculatus esse Baron. ann. 710.

Anastasius II. Orthodoxæ fidei cultor suæ professionis fidei literas ad Rom. Pontif. scripserat.

De *Theodosio* quoque non dubitandum uti & de Constantino VI. Leonis filio, præsertim quòd adhuc puer Imperium obtinuerit cum Matre Irene Augusta fœmina inprimis pia quæ reddidit Ecclesiæ pacem.

Carolus denique M. ultimus quidem hoc Seculo recensitus à Gaulterio, sed verè primus inter cultores Romanisque Pontificibus filiali obedientiâ ac reverentiâ consentiente reputandus. Cujus etiam Informator doctissimus Alcuinus in libro de Divinis officiis cap. de celebrat. Missæ apud Gault. præclarum Papæ Rom. præbet testimonium. *Quia*, inquit, *Religionis cultum sic Dominus instituit ut in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam Capite dona sua vellet in* cor-

corpus omne manare. Unde constat ab Universi Orbis Communione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui qualibet dissensione inter S. mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant.

IX. SECULO.

IX. Seculo perniciosum Schisma in Capite Photio ortum habuit.

VEnimus jam ad illud Seculum in quo quidem non adeo multæ hæreses & hæretici regnârunt: solùm enim Claudius Taurinensis, Theoda pseudoprophetissa, Godeschalcus, Joannes Scotus, Fredevandus, & Bertoninus enumerantur ab Autoribus apud Gaulterium IX Seculo, quos inter Godescalci hæresis de prædestinatione ann. 848. in Concilio Moguntino condemnata. Nihilominus perniciosum admodum Schisma Græcorum ortum habuit in turbulentissimo Capite Photio, qui cùm sese à Latina Ecclesia separaverit, Schismati plures copulavit hæreses, quas inter præcipua de Processione Spiritus S.

Huic Schismati sese opposuere Romani Pontifices ex & in Conciliis primum Particularibus.

Huic porro Schismati & errori sese opposuêre Romani Pontifices unà cum ceteris Episcopis & Christi-fidelibus, inprimis in & extra Concilia particularia: sigillatim in Concilio *Aquisgranense* ann. 809. habito de particula *Filioque* addita Symbolo Niceno, & Constantinopolitano.

Opposuit sese eidem velut in ipso fonte & radice *Constantinopolitanum* Concilium particulare ann. 854. ab Ignatio Patriarcha celebratum: in quo damnatus fuit Gregorius Syracusanus Episc. scil. ea conditione ut depositionis sententiam ratam haberet Romanus Pontifex Leo. IV, ad quem ea de causa Legati à Concilio missi sunt. Baron. ann. 854. N. 7. Quanquam Leonis mors effecit, ut à Benedicto III. duntaxat rata habita sit. ann. 856. Baron. Ibid. N. 7. Ex hac autem condemnatione ortum est perniciosum Schisma Græcorum. Siquidem indignatus Gregorius Ignatium Patriarcham deponendum curavit, & in ejus locum intrudendum Photium Eunuchum, licet ante Laicum. Baron. ann. 854. N. 7. 8. & ann. 858. N. 49.

Et quamvis quidem ann. 861. ibidem Constantinopoli à Photio intruso conventiculum habitum sit contra Ignatium, falsò tamen Oecumenica seu generalis Synodus VIII. dicta. Tantùm enim abest ut ab Ecclesia approbatum sit, ut sæpe illud Papa Nicolaus Concilium Sathanæ & Latrocinale appellaverit, ita Gaulter. citans Baron.

Tan-

Tandem verò hoc Schisma repressum Synodo VIII. Generali Constantinopolitana IV ann. 869. celebrata sub Hadriano II. adversùs Iconomachorum reliquias, nec non pro restitutione Ignatii Patriarchæ adversus Photium Schismaticum.

Deinde in Concilio generali VIII Constantinopolitano IV.

In qua Synodo can. 21. Romano Pontifici inter omnes Patriarchas & Episcopos *Primatus* adscribitur. Deinde eadem Synodus autoritate Hadriani II. per Legatum Ejusdem præsidentem approbata est ut patet ex subscriptione Tomo 4. Concil. *Ego Donatus Dei Gratiâ Episcopus Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens Domini Nostri Hadriani Pontificis, & Universalis Papæ, omnia quæ superiùs leguntur huic Sanctæ & Universali Synodo præsidens ad voluntatem ejusdem Præsulis promulgavi, & manu propriâ subscripsi.* Eodem modo & alii duo Legati subscripserunt: *Ignatius* item Patriarcha Constantinop. cæterorumque Orientis Partiarcharum Legati, ac ipsi etiam Imperatores *Basilius*, *Constantinus*, & *Leo.* Et hi quidem non definitionis instar, sed approbationis duntaxat ac receptionis. Nam Prælatorum tantùm Ecclesiæ est fidei, religionisque dogmata definire ac declarare. Denique Regiam viam hic à nobis explicatam Patres illius Concilii in Decisionibus & Canonibus Ecclesiasticis tenuisse patet ex Canone I. *Regulas* inquiunt, *quæ Sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ tam à Sanctis Famatissimis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum Universalibus, nec non & localibus Conciliis vel etiam à quolibet Deiloquo Patre ac Magistro Ecclesiæ traditæ sunt, servare atque custodire profitemur, his & propriam vitam & mores regentes, & omnem Sacerdotii Catalogum, atque omnes qui Christiano censentur vocabulo, pœnis & damnationibus; & è diverso receptionibus & Justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, atque definitæ subjici canonicè decernentes. Tenere quippe Traditiones quas accepimus sive per sermonem, sive per epistolam Sanctorum, qui antea fulserunt Paulus admonet apertè Magnus Apostolus.* 2 Thes. 2. 15. Et Can. 2. expresse præcipitur *observatio definitionum Synodalium B. B. Pontificum Nicolai & Hadriani super quibusdam rebus, quas illi decreverunt.* & initio Canonis V. *Canonicam stabilitatem in Ecclesiis semper manere in Christo proindè cupientes renovamus & confirmamus terminos & Sanctiones quas olim à SS. Apostolis & SS. Patribus nostris editæ legere* (forte leges) *in Ecclesia posuerunt.* Quæ verba mirificè consentanea sunt iis, quæ in Deuter. 32. 7. & Ecclesi. 8. 11. scripta sunt inquit Gaultier.

In Sydodo Constantinopolitano VIII. Primatus Rom. Pontifici adscribitur.

Eadem Synodus per Legatum ejusdem Præsidentem approbata.

Patres Synodi Constantinop. VIII. Regiam viam in decisionibus Ecclesiasticis tenuere.

In octo Conciliis Generalibus in Oriente celebratis agnita est Rom. Pontif. in omnes Ecclesias Autoritas & Primatus.

Addo hic (id quod etiam Gaulterius notavit.) ex octo præcedentibus Conciliis Generalibus approbatis in Oriente celebratis perspicuum est Orthodoxos Orientes Episcopos semper agnovisse Romani Pontificis in omnes Ecclesias infallibilem autoritatem & Primatum, adeò ut illud pro veritate fidei Orthodoxa verè à Deo revelata habuerint, quod is cum Concilio Generali vel sine hoc in particulari, vel cum plerisque Ecclesiis earumque Episcopis ac fidelibus populis consentientibus pro veritate fidei à Deo revelata tenuit ac proposuit credendum.

Post illa autem octo nullum celebratum est in Oriente Concilium, eò quod Photii Schismatici factione ac suasu, cœperunt tunc Græci quam plurimi apertum bellum gerere cum summo Cathedræ Romanæ Principatu, Latinosque aversari ob additam articulo Symboli Niceni ac Constantinopolitani, in quo de Spiritus S. processione agitur, particulam *Filioque.* Quare omnia deinde Concilia in Occidente celebrata sunt, & quidem à solis Episcopis & Prælatis Occidentalibus, si modò illa excipiam, in quibus Græci & Orientales ad Ecclesiam Romanam se rursus aggregarunt. Bellar. Azor.

Porrò qualis hoc Seculo fuerit Ecclesiarum particularium, eorumque Rectorum, nec non Principum secularium consensus, ceu ovium cum Pastore, membrorum cum capite, filiorum cum Patre supremo in terris Christi Vicario patet ex eo, quia (ut inprimis seculares Principes memorem) exceptis *Nicephoro*, *Leone V. Michaele Balbo*, aliisque Imperatoribus Orientis qui *Manichæorum* ac *Iconoclastarum* hæresibus, aliisque sceleribus infecti fuerant, non deerant qui cum Romano Pontifice tanquam cum capite & Pastore Ecclesiæ conveniebant.

Imperatorum Orientis cum Rom. Pontif. consensus Seculi IX.

Talis erat *Michael* cognomento *Curopalata* qui Professionem suæ fidei ad *Leonem III.* Pontificem Maximum misit. Baron. ann. 812. Item *Michael* Theophili Imper. filius, qui defuncto Patre imperium tenuit cum Matre *Theodora*, quæ in extirpando Iconomachismo egregiam operam posuit, præsertim convocando Constantinopolim Concilio, in quo damnatus est ille error & propugnatus imaginum Cultus. Baron. ann. 842. N. 8. & seqq. Qui Iconomachismus cùm sit ante à Summis Pontificibus deinde etiam à particularibus Ecclesiis, earumque præpositis damnatus, quis inficiabitur Ecclesiam cum Romano Pontifice tanquam membra cum capite, tanquam oves cum Pastore, filiosque cum Patre illo Seculo convenisse.

Iconomachismus à Rom. Pontifice una cum particularibus Ecclesiis damnatus.

Hoc

Hoc inſuper ſeculo occidentis imperatores ſuis gubernaculis exordium fecere: ac imprimis *Carolus Magnus* Rex Franciæ, ac poſt hunc *Ludovicus I.* cognomento *Pius*, cæterique qui ſequuntur. Qui omnes cum Romano Pontifice Unionem & conſenſionem Eccleſiaſticam ſacroſanctè ſervarunt. Nam de Carolo M. jam innuimus præterito ſeculo. De Ludovico I. certè teſtatur Baron. ann. 816. n. 97. & ſeq. quod *Stephanum V.* Pontificem in Galliam profectum honorificentiſſimè acceperit, adeò ut cum toto corpore ſemel, iterum, ac tertio ad ejus pedes procidiſſet, eum ſurgens hiſce verbis ſalutaverit, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis*. Ac vice verſa Pontifex reſponderit. *Benedictus ſit Dominus Deus noſter qui tribuit oculis noſtris ſecundum David Regem videre.* Die autem Dominico ante ſacroſanctam Miſſam, in oculis cleri atque univerſi populi conſecravit Pontifex Imperatorem capitique ejus pretioſiſſimam quam ſecum attulerat coronam impoſuit: Reginam item Imperatricem *Irmingandam* coronâ cinxit, atque Auguſtam nominavit. Idem verò Imperator in tuendo *Leone III.* ſummo Pontifice multum laboravit Baron. 815. *Paſchalis* quoque *I. Lotharium* Imperatorem coronavit ann. 823. *Joannes VIII. Carolum II.* vulgo *Calvum* Romam invitaverat ut veniret excipiendi cauſa imperatorii ſtemmatis. Baron. ann. 875. *Carolus* quoque III. cognomento *Craſſus* ſeu *Groſſus* coronâ ornatus eſt Romæ ann. 881.

Imperatorum quoque Occidentis cum Rom. Pontif. conſenſus.

Qualis honor à Ludovico I. Stephano V. Pontifici in Galliam profecto exhibitus.

Qualis item fuerit conſenſus Patriarcharum Epiſcoporum aliorumque Præſulum Eccleſiæ cum Romano Pontifice, quove loco ſit habitus? quam item viam in definitionibus Eccleſiaſticis tam ad fidem quàm ad mores ſpectantibus una cum illo tenuerint patet ex ſcriptis & teſtimoniis *Nicephori* Conſtantinopolitani, *Haymonis*, *Jonæ* Aurelianenſis, *Simeonis* Metaphraſtæ, *Rabani*, aliorumque qui tum vixerunt, quos fuſe citatos legere licet apud præcit. Gaulter. nono ſeculo in undecima & duodecima veritate.

Conſenſus Patriarcharum & Epiſc. cum Rom. Pontif. Seculo VIII. patet ex illorum ſcriptis.

Stat igitur firmiter noſtra aſſertio hoc IX. Seculo comprobata. Eccleſiam proponentem Veritates fidei verè à Deo revelatas eſſe, Romanum Pontificem ceu ſummum Eccleſiæ Paſtorem cum Concilio generali vel particulari, aut etiam citra hoc cum particularium Eccleſiarum Præſulibus ceu ſubordinatis Paſtoribus, ceteriſque fidelibus ceu ovibus unanimi ſenſu & conſenſu in veritatibus fidei conſpirantem.

X. SECULO.

X. Seculo nullum generale nec particulare Concilium contra aliquam hæresim à Rom. Pontif. indictum ac celebratum.

I. Continuatio *Schismatis* quorundam Græcorum. Item *Antropomorphitæ* in Italia repullulantes, ac secta quædam *Manichæorum Philippopoli* germinans observatur ab Historicis Ecclesiasticis, sigillatim à Gaulterio: ac propterea hoc seculo nullum Generale, nullumque particulare Concilium pro firmanda aliqua veritate fidei à Deo verè revelata contra oppositum sentientem hæresim à Romanis Pontificibus indici atque celebrari fuerit necesse.

Particularia Concilia Seculo X. celebrata.

Fuêre quidem aliqua particularia celebrata, non tamen in negotiis totius Ecclesiæ, sed duntaxat particularibus causis, ut ex multis aliqua solùm memorem; *Romanum* ann. 904. ad decidendum *cujusnam esset imperium, Berengarii ne? an Lamberti?* *Rhemense* ann. 935. contra eos *qui Ecclesiæ bona invadebant.* *Anglicanum Nationale* à S. Dunstano Cantuariensi Archiep. celebratum ann. 970. contra *Clericorum incontinentiam*; *Wintorriense* ann. 975. pro *eadem reformatione*, approbatum divinitùs per imaginem Crucifixi inter diversorum altercationes judiciorum loquentem.

Romanum ann. 983. sub *Benedicto III.* pro negotio Gisleri Magdeburgensis Archiepiscopi. Aliud ibidem sub *Joanne XV.* an. 989. Item *Romanum* pro Canonizatione S. Udalrici ann. 993. Item *Romanum* ann. 996. ad placidiorem reddendam imperatorum Electionem per Electores interposita Ecclesiæ autoritate approbatos. *Romanum* denique aliud ann. 999. pro negotio Gisleri Magdeburgensis Archiepiscopi.

Quibus tamen etsi particularibus & in negotiis privatis celebratis Conciliis summi Romani Pontificis autoritas ac consensus Ecclesiarum cum eodem conspirans confirmatur.

Romanorum Pontif. Autoritas & consensus cum Imperat. Occidentis Seculo X.

II. Eadem autoritas, & consensus patet in Imperatoribus Occidentis præcipuè. Nam *Lambertus* Vidonis filius à *Formoso* Papa coronatus ann. 904. *Berengarius* à Joan. X. ann. 915. *Otto I.* cognomento *Magnus* initiò sui imperii præclara professione Deo Deique Vicario *Joanni Papæ XII.* se omnia Ecclesiæ Romanæ Jura confirmaturum ac defensurum recepit. Baron. ann. 962. *Otto III.* creatur Imperator & coronatur à *Gregorio V.* Pontif. an. 996.

Ordo Camaldulensis ab Alex. II. P. confirmatus.

III. Cum hoc quoque seculo inter eventus memorabiles recenseatur *Ordo Camaldulensis* à *S. Romualdo* institutus ann. 967. post verò ann. 1073. ab *Alexandro II.* Papa confirmatus. Item *Commemoratio omnium Christi fidelium defunctorum* post festum omnium

nium SS. 2. Nov. celebranda. S. Sedis Apostolicæ autoritate instituta pro universa Ecclesia. Item conversio ad fidem Christianam non sine miraculo *Miecislai* Principis *Poloniæ* ann. 964. atque unà cum illo totius Regni per viros Apostolicos & Sacerdotes à Pontif. Romanis submissos ad Romanam Catholicam Ecclesiam accessio. Item quod *Boleslaus* cognom. *Chobrus* filius ejusdem Miecislai titulo *Regis* ornatus, & ab omni imperatorum jurisdictione ann. 1001. exceptus sit, tum summi Pontificis autoritate, tum *Ottonis III.* imperatoris. Hæc inquam omnia & his similia quæ hoc seculo à summis Pontificibus in rem Ecclesiæ universæ præclare gesta sunt, luculenter comprobant nostram Catholicam Assertionem quam hic propugnamus.

Commemoratio omnium Christi fidelium

Sedis Apostolicæ Autoritate instituta.

Conversio Miecislai Principis Poloniæ, totiusque Regni per Sacerdotes à Rom. Pontif. submissos.

Boleslaus Chobrus corona & titulo Regis ornatus Rom. Pontif. & Ottonis III. Imper. autoritate.

IV. Idem confirmant scriptores qui tum viguerunt, à quibus egregia sedi Apostolicæ Romanæ testimonia & elogia data sunt, quale est *Reginonis* Abbatis qui Lib. 1. annalium ad ann. 865. *Stultitiæ*, ait, *quodam elogio notandi sunt, qui illam Petri sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi falli unquam potuit. Luitprandus* Ticinensis seu Papiensis Lib. 6. c. 8. *Petrum*, vocat, *Principem Apostolorum.* & lib. 4. c. 3. ait, *illum dimissa Antiochena Ecclesia ad Romanam Urbem transvolasse, ibique disponente Deo sanctam toto Orbe venerandam fundasse Ecclesiam*; & lib. 6. c. 6. *Joannem summum Pontificem*, vocat. *Otto* ait *à summo Pontifice & Universali Papa Joanne unctionem suscepit imperii* &c.

Scriptores Seculi X. Sedis Apostolicæ Romanæ autoritatem & Primatum supra alias tuentur.

XI. SECULO.

I. S*Acramentariorum* hæresis per *Berengarium* Andegavensem Archidiaconum primum ejusdem parentem & fabrum excusa, is Patria Turonensis, Magistro usus est, magno illo Carnotensi Episcopo *Fulberto*, à quo & sæpe objurgatus est, quòd disputationem prætexens Catholicæ fines veritatis transiliret, & sæpè ut cœptis desisteret monitus: Verum frustra, ita ut hic Vir Sanctus morti proximus, infernum præsentiens halitum, quo per temerarium æque ac pestilens Berengarii os Ecclesiam infecturus erat Satan, illum curaverit expellendum. Præcipuus ejus error erat in *S. Eucharistia non esse verum corpus, & verum sanguinem Jesu Christi, sed hujus duntaxat figuram & similitudinem.*

XI. Seculo Sacramentariorum hæresis per Berengarium excitata.

Hæresis hæc per summos Pontificos repressa est in Conciliis particularibus, ac sigillatim contra Berengarium celebratum est *Roma-*

Berengarii hæresis per Rom.

Pontifices repressa in Conciliis particularibus. Berengarius sæpius abjuravit hæresim. Tandem serio conversus eandem abjuravit in Concil. Rom. præsente Gregorio Papa. Formula abjurationis hæresis à Berengario factæ.

manum ann. 1050. præsidente *Leone IX.* Item *Vercellense* eodem anno contra eundem, eodem Præsidente Baron. ann. 1050. *Romanum* aliud ann. 1051. item ann. 1053. item *Turonense* ann. 1055. contra eundem Berengarium, ubi etiam abjuravit hæresim suam. *Lateranense* sive *Romanum* ann. 1059. contra eundem, ubi rursum abjuravit, approbatum ipsa *Nicolai II.* Papæ præsentia. *Melphitanum* ann. 1066. præsente *Alexandro II.* Papa habitum & approbatum. Et alia plura, inter quæ præcipuum *Romanum* ann. 1079. à *Gregorio* P. VIII. convocatum, ubi Berengarius jam octogenarius multoties relapsus, iterùm seriò conversus abjuravit, petitaque venia fidem suam his verbis in pleno Concilio præsente & præsidente *Gregorio* Papa professus. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in Altari post Mysterium Sacræ Orationis, & verba nostri redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificam carnem & sanguinem Jesu Christi Domini Nostri, & post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est; non tantùm per signum & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Vixit adhuc post hæc annos multos, videlicet usque ad Epiphaniam anni 1088. quo die propè nonagenarius vitam dimittens sic est locutus, *Hodie in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios ut timeo, ad pœnam.* Utinam qui Calvini somniis dementati Sacrilegum Berengarii dogma hâc tempestate instaurant, Berengarii quoque resipiscentiam, pœnitentiam, & emendationem imitentur; quemadmodum & per Dei misericordiam complures diebus singulis imitantur.

Hæc itaque hæresis non aliter restincta, Catholicumque dogma & veritas de reali ac vera corporis & sanguinis Christi præsentia in S. Eucharistia, & non solùm per figuram & similitudinem stabilita est, quàm per summos Pontifices in Conciliis particularibus, cum quibus tanquam cum summis Pastoribus, & cæteri Episcopi tanquam subordinati Pastores fidelesque tanquam oves unanimi sensu & consensu in hanc veritatem mutuo conspirabant.

II. Hoc

Simoniacorum hæresi Seculum XI. infectum fuerat. Repressa per Rom. Pontif. in Concil. particularibus.

II. Hoc etiam seculum Simoniacorum hæresis, quâ venales fiebant Prælaturæ & officia Ecclesiastica maximè circa ann. 1047. mirè infecerat, fautorem præcipuum habens *Guibertum* Cancellarium, qui postea factus est Antipapa. Sed hæc hæresis repressa est per summos pontifices Romanos in particularibus Conciliis primum *Romano* sub *Clemente II.* ann. 1047. Item in *Germania* eodem ann. contra eosdem habito. Tum alio *Romano* ann. 1049. contra eosdem sub *Leone IX.* Item *Lateranense*, seu *Romanum* ann. 1072. præsente *Alexandro II.* Papa. *Beneventanum* sub *Urbano II.* convocatum ann. 1091. ubi anathemate perculsus fuit hæresiarcha *Guibertus* & plura alia, quæ ne longus sim prætereo.

Incestuosorum hæresis eodem Seculo XI. Condemnata ab Alexandro P. II. in duob. Concil. Rom.

III. Hoc insuper seculo hæresis *Incestuosorum* invaluerat, qui hoc nomine Vocati fuerant, quod à nonnullis Jurisconsultis malè instructi Matrimonium censebant permissum in quarto Consanguinitatis gradu per sacros Ecclesiæ Canones interdicto. Hanc hæresim *Alexander* Papa II. in duobus Conciliis Romanis ann. 1065. eam ob rem habitis condemnavit: quem secuti etiam alii Episcopi & fideles eandem hæresim damnandam censuerunt.

Plura Concilia Particularia in bonum Ecclesiæ Seculo XI. à Rom. Pontif. celebrata.

IV. Plura quoque alia hoc seculo celebrata sunt Concilia à Romanis Pontificibus. in bonum Ecclesiæ, uti *Romanum* sub *Gregorio VII.* ann. 1076. ab eodem confirmatum, quod aliqui vocant *Generale*, fuit autem convocatum ad tollendam eam de Imperio contentionem, quæ inter *Henricum* VI. aliàs III. & *Rudolphum* Sueviæ ducem intercedebat. Tria item Concilia ann. 1080 celebrata præsidente *Hugone* Diensi episcopo sedis Apostolicæ Legato, ac deinde Lugdunensi Archiep. Unum *Lugduni*, alterum *Avenione* in quo *S. Hugo* Episcopus Gratianopolitanus creatus: tertium *Meldis*, in quo S. *Arnolphus* factus est episcopus. *Capuanum* ann. 1087. ad stabiliendum *Victorem* III. *Anglicanum* pro negotio *Urbani* Papæ ann. 1095. *Placentinum* ann. 1095. ab *Urbano* II. præsente, atque anathema quod sui Antecessores *Gregorius VII*, & *Victor* III. in *Henricum* III. Imper. & *Guibertum* Antipapam fulminârunt, renovante. *Claromontanum* nationale in Arvernia ann. 1095. vel ut alii ann. 1096. In quo *Urbanus* II. Papa Ecclesiæ gallicanæ disciplinam restituit, *Guibertum* Antipapam ejusque promotorem *Henricum IV.* Imperatorem excommunicavit, *Philippum* Galliæ Regem ad mulctandum legitimâ pœnitentiâ peccatum publicum induxit. Principes ac populos Occidentis qui aderant tam efficaci cohortatione ad expeditionem Terræ Sanctæ concitavit,

vit, ut centum hominum millia ex Gallia, Italia, Hiſpania, Anglia, Scotia, Hybernia, & Belgio nomen dederint, ſeſeque Cruce ex purpureo panno, munierint, quam his ille in ſignum Indulgentiæ dederat, cujuſque veſti ſupra dexterum humerum annectendam.

Conſenſus Imperat. Occidentis ac Rom. Pontif. Seculo XI.

V. Conſenſus quoque Imperatorum Occidentis cum ſummo Pontifice hoc ſeculo ejuſque autoritas in quanta fuerit æſtimatione patet ex eo, quia *Henricus* II. cognomento *Claudus*, alias nominatus I. *Ottoni* III. Succedens ann. 1014. à *Benedicto* Papa VIII. Ejuſdem Succeſſor *Conradus* à *Joanne* Papa Imperator ipſo die Paſchalis ann. 1027. coronatur *Henricus* item III. alias II. *Conradi* filius una cum *Agnete* conjuge ann. 1046. qui etiam morbo interiit inter manus *Victoris* Papæ II. ann. 1056. ſolus *Henricus* IV. alias III. Schiſmaticum ſeſe præbuit promovendo Guibertum Antipapam atque una cum illo hæreſim Simoniacam, ſed & hic refractarius ſupremam Chriſti Vicarii in terris poteſtatem & autoritatem ſenſit, quando & à Gregorio VII. & Victore III. fulmine anathematis ictus quod ipſum in Concil. Placentino ann. 1095. Urbanus II. præſens renovavit, inopinata tandem morte à Deo multatus ann. 1106.

Solo Henrico IV. alias III. excepto.

VI. Hoc etiam Seculo *Ordo Vallis umbroſæ* in Italia inſtitutus, ab ordine S. Benedicti per S. *Joannem Gualbertum* derivatus: Confirmatus, & primis ſuis privilegiis honeſtatus ann. 1070. ab *Alexandro II.* Papa. Itam ordo *Canonicorum Regularium S. Auguſtini* Romæ & in Italia ab *Alexandro II.* reſtituitur ann. 1062. Item *Ordo P. P. Carthuſianorum* ann. 1086. à *S. Brunone* Colonienſi Theologo ac Rhemenſi Canonico fundatur, & à ſummis pontificibus confirmatur. Item ann. 1095. Ordo eorum qui ægrotis *Noſocomiorum S. Antonii* miniſtrant. Hoc eſt eorum, quibus membra igne ſacro ſenſim conſumpta pereunt, inſtitutus à Nobili quonam viro provinciæ Viennenſis dicto *Goſtone.* Item venerabilis *Ordo Ciſtercienſis* à S. Roberto abbate Moliſmenſi in diæceſi Lingonienſi ann. 1098. fundatur, & confirmatur ab *Urbano II.* Quæ Ordinum ſacrorum à Pontificibus confirmatio declarat autoritatem ſupremam eorundem conſenſumque fidelium ac ſubordinationem quam habent velut oves ad Paſtorem, membra ad caput, filii ad patrem.

Sacri Ordines Seculo XI. fundati & confirmati à Rom. Pontif.

VII. Scriptores denique Eccleſiaſtici qui hoc ſeculo celebres erant, primatum Divo Petro & Romanæ ſedi, autoritatemque in-

infallibilem in declarandis ac proponendis Veritatibus fidei, Universæ Ecclesiæ credendis adstruunt. Et de S. Petro quidem ait *Oecumenius* in cap. 1. Ad Apost. *Exurgit Petrus non Jacobus & tanquam ferventior, & tanquam discipulorum Principatum habens commissum.*

Scriptores Ecclesiastici Rom. Pontif. Primatum comprobat Seculo XI.

S. *Leo. X.* Papa in Epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum. Postquam laudasset ejus secundùm antiquæ consuetudinis usum, pernecessarium studium quòd *Electionem suam & fidem Apostolicæ & primæ sedi annuntiare & exponere curaverit*, addit. *Siquidem ab Apostolicâ tuâ sede nostram Apostolicam sedem consulendo perpendimus tuam dilectionem nolle deviare à Domino, & omnium SS. Patrum concordi Decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesiis S. Romana & Apostolica sedes caput præponitur, ad quam majores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ deferuntur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant sic ipse Sanctus Sanctorum, & Dominus Dominantium confirmat quatenus ibi principalis dignitatis & totius Ecclesiasticæ disciplinæ Venerabilis apex præfulgeat & præcellat, ubi ipse vertex atque cardo Apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die exspectat. Nimirum solus est ille, pro quo ne deficeret ejus fides Dominus & salvator Luc. 22. 32. asserit se rogasse, dicens Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quæ Venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecerit, nec deficere creditur in Throno illius usque in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.* Petrus Damiani in Epist. 12. quæ est ad Nicolaum Papam cap. 5. *Tu autem dilectissime Venerabilis Papa qui Christi vice fungeris: qui summo Pastorum in Apostolica dignitate succedis, noli pestem hanc per ignaviam ad incrementa perducere &c. Lanfrancus in Libr. de Eucharist. contra Berengar. Beati doctores si non eisdem verbis, eisdem tamen sententiis multis in locis concorditer adstruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana & Universali Ecclesia in fidei doctrina* discredit.

S. Leonis X. Papæ testimonium de Primatu Sedis Romanæ.

Petri Damiani.

Lanfranci.

Theophilactus in cap. 16. Matt. *Remunerat*, ait, *Dominus Petrum mercedem illi dans magnam, quòd supra eum ædificavit Ecclesiam* & in illa verba Luc. 22. *Tu autem conversus &c. Plenus hujus intellectus is est, Quia te habeo ut Principem discipulorum, postquam*

Theophilacti.

ne-

negato me fleveris & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros, hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ Petra es, & firmamentum. Et in cap. 21. in Joan. *Totius orbis ovium Præfecturam Petro committit non autem alii sed huic tradit: primum quidem quia omnes præcellebat & totius cœtus os erat &c.* S. Ansel. Cantuar. Epist. in lib. de Incarn. Verbi c. 1. Urbani Papæ Primatum his verbis exprimit *Domino & Patri Universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis summo Pontifici Urbano.* Ipsum verò in hunc modum alloquitur. *Quoniam Divina Providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam & Ecclesiam regendam committeret: ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus autoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur.* Et in cap. 1. Epist. ad Rom. tractans hæc verba Apostoli *Primum gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Sic ea interpretatur. *Ago gratias pro omnibus fidelibus. Et primum quidem pro omnibus vobis scilicet, quia vos primi estis, quia Romana Ecclesia Primatum habet inter omnes Ecclesias.*

S. Anselmus Cantuar.

XII. SECULO.

XII. Seculi hæreses autoritate Roman. Pontif. repressæ.

EXortæ sunt non paucæ hæreses quæ omnes Autoritate Summi Pontificis Romani, seu supremi Pastoris unà cum aliis Episcopis, ceu subordinatis Pastoribus fidelibusque ceu ovibus repressæ sunt & extinctæ, seu in Conciliis seu extra illa, ut testantur Scriptores sigillatim apud Gaulter. in hoc seculo.

Hæresis Petri de Bruis ab Innoc. III. in Concil. Later. X. damnata.

I. Primus error seu hæresis fuit *Petri de Bruis* à quo *Petro Brusianorum* dicta, qui sua mendacia in Arelatensi Provincia locisque finitimis prædicavit per annos viginti, ex quinque primariis erroribus fuit *Parvulos discretionis ætate inferiores per baptismum salvari non posse &c.* 2. *Nullas esse exstruendas Ecclesias, quin exstructas destruendas.* 3. *Sacras Cruces confringendas atque amburendas.* 4. *In Ecclesia minimè nunç esse realitatem Eucharisticam unà cum S. Missæ sacrificio.* 5. *Deridenda esse sacrificia, orationes, eleemosynas, aliaque pietatis opera pro* defunctis, Huic hæretico opposuit se inprimis Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis. Damnata autem est hæc hæresis ab Innocentio III. in *Concilio Lateranensi* Generali X. Romæ celebrato ann. 1132. cui mille circiter Episcopi interfuerunt.

II. Se-

II. Secunda hæresis fuit Petri Abaillardi ann. 1146. errores illius 16. enumerantur ab A. A. apud Gaulterium 1. *circa SS. Trinitatem* arianizabat, *circa gratiam* pelagianizabat, circa *Personam Christi D.* cum Nestorio tenebat. 2. Docebat in *Deo esse aliquam Compositionem*. 3. *Deum non omnis boni esse Autorem*. 4. Statuebat *aliquid distinctum inter Creatorem & Creaturam*, & *aliquid esse æternum præter Deum*. 5. affirmabat *aliquid esse ab angelis creatum*. 6. *Potestatem soli Patri*, *sapientiam soli Filio*, *Spiritui Sancto soli benignitatem per proprietatem* adscribebat. 7. Negabat *Christum D. carnem humanam ut nos salvaret assumpsisse*. 8. Abnuebat *Spiritum timoris Dei in Jesu Christo fuisse*. 9. *Spiritum S. esse animam mundi*. 10. *Hominem libero arbitrio carere*. 11. *Nullam esse in rebus contingentiam*, sed *omnia necessitate fieri absoluta*. 12. *Deum ipsum libertate* spoliabat, asserens, *Deum non posse res aliter facere quàm faciat*. 13. Imaginabatur sibi *omnes diaboli tentationes ex lapidibus herbarumque contactu oriri*. 14. *Nullum esse timorem Dei in futuro seculo*. 15. *Beatos non videre Deum*, sed *nonnullam solummodo claritatem essentiæ illius*. 16. Ea *duntaxat credenda esse*, *quæ nostra mens Duce ratione potest comprehendere*.

Hæresis Petri Abaillardi ab Innocentio III. in Synodo Senonensi damnata.

Hæc hæresis ab *Innocentio Papa* III. in plena *Synodo Senonensi* ann. 1140. damnata est. quam ipse elegerat ad sedem Apostolicam appellans, disputante cum illo & elinguem faciente D. Bernardo in eadem synodo.

Arnoldi Brixiensis hæresis ab Innocentio III. in Conc. Later. convicta.

III. Tertia. *Petri Abaillardi* discipulus erat *Arnoldus Brixiensis* qui erroribus Magistri sui addebat *bona temporalia Laicorum esse*, *perperamque facere clerum si illorum particeps fieret*, falsa item quædam tum de *Augustissimo Altaris Sacramento*, tum de *baptismo parvulorum*, comminiscebatur.

Hic etiam in *Concilio Lateranensi* ann. 1139. accusatus & *ab Innocentio* 3. tacere jussus; ac rursum cum Magistro condemnatus an. 1140. ut immediatè dictum, ad extremum comprehenditur & igne punitur tempore Hadriani Papæ V. cùm tamen Magister illius resipuerit pœnitentiamque factus Monachus Cluniacensis fecerit.

Eon seu Eodon de stella hæreticus in Conc. Rhemensi ab Eugenio Papa damnatus.

IV. Quarta. Hoc quoque seculo fuit quidam Pseudo-Propheta *Eon* seu *Eodon de stella dictus*. Potissima ejus cœcitas Magiæ fumo tetrius obtenebrata fuit, quod diceret se illum ipsum esse, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, suosque Affectatores quosdam Angelorum, alios Apostolorum ti-

tulo honeſtaret. Hic ann. 1148. in Concilio Rhemeſi quod Eugenius Papa 3. celebrabat accuſatus damnatuſque eſt.

V. Quinta fuit Hæreſis *Valdenſium à Valdone* qui & *Pauperes de Lugduno*, eò quòd is Valdo Civis Lugdunenſis Vir dives relictis inque pauperes deſtributis facultatibus ſuis, paupertatis obſervationem profitebatur, eoque ſpecioſo pallio, quos ſpargebat errores contegebat. Quanquam enim idiota prorſus erat, ubi tamen libros aliquos nonnullis ſcripturæ locis præpoſterè intellectis conſperſos ſibi ſcribendos curavit, Apoſtolorum munus ſibi arrogare, ac Concionatorem agere non erubuit. Errores horum. Valdenſium enumerat Gaulterius quadraginta duos, quos hic longum eſſet recenſere: Videantur apud cit. Gaulter in ſeculo 12. in Collat. Veterum errorum &c. pag. 660.

Hæreſis Valdenſium ſeu Pauperum de Lugduno ſub Alexandro III. P. in Conc. Later. Gener. XI. condemnata.

Hæc porrò ſecta inchoata ſub *Alexandro* 3. h. e. ann. 1160. vel ut alii malunt 1170. condemnata fuit in Concilio 11. generali *Lateranenſi* quod fuit tertium generale ibidem ann. 1179. vel 1180. ab eodem Alexandro 3. celebratum: cui Concilio interfuêre Epiſcopi fere trecenti.

Albigenſium hæreſis ab eodem Alex. III. in eodem Concil. damnata.

VI. Sexta Hæreſis eodem planè tempore ex orci faucibus emerſit, *Albigenſium* ſeu *Albianorum* ann. 1176. in Provincia Toloſana. Errores illorum 35. enumerat Gault. L. c. præcipuus quod cum Manichæis *duo principia Deum*, videlicet, *bonum & malum*, *illum Creatorem animarum hunc corporum ſtatuebant*, *Corporum reſurrectionem* cum Sadducæis negabant: Neque *purgatorium* eſſe neque *infernum*: *defunctis nihil prodeſſe noſtras orationes & ſuffragia* &c. V. cit. Gaulter.

Hæc hæreſis ſimiliter uti & Valdenſium in eodem Concilio Lateranenſi XI. ab Alexandro tertio condemnata.

Hæreſis Corregiorum.

VII. In eodem Concilio ab Alexandro III. damnata hæreſis *Corregiorum* ſeu *Coterellorum* docentium *B. ſſim. Virg. Mariam fuiſſe Angelum*: *corpus Chriſti non eſſe glorificatum in cœlo*: *Animas ſanctorum non eſſe in gloria ante diem judicii*. De qua uti & de præcedentibus hæreſibus plura V. Tom. 4. Concil. & Baron. Tom. 12. ann. 1179.

Gilbertus Porretanus hæreticus ab Eugenio P. III. condemnatus.

VIII. De *Gilberto* quoque *Porretano* teſtantur A. A. Baron. an. 1147. Sanderus apud cit. Gault. fuit is Epiſcopus Pictavienſis hæreſeos reus edito Tractatu de ſex ultimis Prædicamentis apud *Eugenium* III. Papam reus factus, qui ubi eum eodem anno accerſivit, primum quidem ad Concilium *Antiſiodorenſe*; deinde vero ad *Pari-*

ri-

risiense cui ipse præsedit, rem ejus ad Concil. *Rhemense* remisit, quod ipse quoque ann. 1148. præses & præsidens celebravit, unde errorum ejus condemnatio est consecuta. Hos autem cum S. Sedi Apostolicæ subjecisset, auditaque condemnatione agnovisset & deseruisset suum in Episcopatum redire permissus est.

IX. De *Joachimo* item *Abbate* tempore *Cœlestini* III. ann. 1195. cujus etiam propositiones damnatæ in *Concil. Lateran.* ab *Innocentio* III. de quo in sequenti Seculo.

Joachimus Abbas ab Innoc. III.

X. De *Maronitis à Marone* quodam hæresiarcha, qui cum Eutychete *unam duntaxat voluntatem in Christo* asserebat. Cui dogmati plura alia falsa & perniciosa adjungebant. Cæterum postquam quingentorum ferè annorum spatio à consortio fidelium fuerunt exclusi, & in sexta Synodo condemnati tandem Deo inspirante ad unitatem fidei & Ecclesiæ Romanæ ann. 1182. redierunt, unde eorum Patriarcha generali Concil. *Lateranensi* IV. interfuit, quod ann. 1215. sub Innocentio III. celebratum ut dicemus brevi.

Maronitarum hæretici Ecclesiæ Catholicæ reconcilliantur sub Innocentio III.

XI. Concilia quoque alia hoc seculo pro bono ordine & gubernatione Ecclesiæ habita autoritate summorum Romanorum Pontificum demonstrant eorum infallibilem in Ecclesia potestatem & autoritatem, consensumque cum illis particularium Ecclesiarum. Hoc loquitur *Concil. Lateranense* seu *Romanum* I. contra *Henricum* IV. ann. 1102. sub *Paschali* Papa II. *Londinense* sub eodem Papa & eodem ann. in quo incontinentes Clerici depositi. *Londinense* aliud eodem ann. pro reformatione Ecclesiæ agente S. Anselmo. Cantuar. Ep. ut testatur Wilhelm. Malmesburiensis. *Trecense* ann. 1104. sub eodem Papa. *Florentinum* ann. 1105. sub eodem & ejusdem autoritate. *Quintilineburgense* seu *Northusense* pro reformandis moribus Ecclesiæ ann. 1105. sub eodem Papa Paschali II. ubi non pauci Episcopi Schismatici obedientiæ se sedi Apostolicæ dederunt. Conradus Abb. Urspergensis in Chronico. *Moguntinum* ann. 1105. *Guastallense* ann. 1106. sub eodem *Paschali* II. Hoc testatur Concil. *Hierosolymitanum* ann. 1107. habitum à *Gibelino* Arelatensi Archiepiscopo Pontificis Legato, ubi depositus fuit *Ebremarus* Patriarcha intrusus, *Diabertus* verò in suam sedem restitutus sub *Paschali* Papa II. quam rem fusius vide descriptam à Wilhelmo Tyrio l. 2. belli sacri c. 4. *Trecense* an. 1107. eodem Paschali II. præsente, quod Urspergensis in Chronico suo fusius describit. Et ut alia sub eodem Paschali Papa II. breviter attingam. *Londinense* ann. 1108. *Beneventanum* eodem anno

Concilia Particularia Seculo XI. celebrata autoritate Rom. Pontif.

no *Pictaviense* ann. 1109. *Rhemense* eodem anno, *Hierosolymitanum* II. ann. IV. per Cononem Legatum contra Imperatorem Henricum IV. *Lateranense* II. ann. 1112. in quo Henricus à Paschali II. Papa ob extortas investituras excommunicatur. *Viennense* eodem anno & eadem de causa, ubi inter alia Decreta est hoc primum. *Investituram Episcopatuum & Abbatiarum & omnium Ecclesiasticarum rerum de manu Laica Sacræ R. E. autoritatem sequentes hæresim esse judicamus. Beneventanum* II. ann. 1113. *Cyperanum* ann. 1114. *Belluacense* eodem anno. *Hierosolymitanum* seu *Syriacum* ann. 1115. contra Arnolphum Patriarcham *Hierosolymitanum* intrusum. *Trojanum* ann. 1115. de quo Beneventanum Chronicon. *Coloniense* ann. 1116. *Lateranense* III. ann. 1116. *Romanum* aliud eodem anno. Hæc tot Concilia autoritate unius Papæ Paschalis II. celebrata sunt, in quibus mirus consensus Ecclesiarum mirusque zelus particularium Ecclesiarum pro autoritate summi Pontificis Romani, proque disciplina Ecclesiastica, quam hic summus Pontif. contra ejusdem hostes sigillatim contra Henricum IV. pro virili intrepide propugnavit una cum cæteris Episcopis & Ecclesiis particularibus elucet. Ut legenti hæc Concilia patebit.

Idem patet in sequentibus Conciliis. *Capuano* ann. 1118. *Coloniensi* ann. 1119. *Friteslariensi* anno eodem. *Viennensi* itidem eodem anno. *Chemensi* ann. 1119. *Neopolitano* ann. 1120. sub *Gelasio* II. celebratis ante *Lateranense* I. Generale IX. ann. 1122. ab eodem & 900. Episcopis ad reconciliandos sibi invicem Principes Christianos, eripiendamque Saracenis Terram Sanctam, in quo Henricus V. Imperator restitutiones investiturarum fecit hoc tenore. *In nomine S. & individuæ Trinitatis ego Henricus Dei Gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & S. Romanæ Ecclesiæ & D. Papæ Callisti & pro remedio animæ nostræ dimitto Deo & SS. ejus Apostolis Petro & Paulo & S. Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per annulum & baculum &c. eidem S. Romanæ Ecclesiæ restituo &c.*

Henricus V. Imper. restitutionem Investiturarum Romanæ Ecclesiæ fecit in Concil. Later. I. generali IX.

Idem testantur tria Concila. *Romanum* ann. 1122. aliud *Romanum* ann. 1123. *Tolosanum* ann. 1124. sub *Callisto* Papa II. habita. Item quatuor *Londinense* ann. 1125. *Trecense* Gallicanum ann. 1127. *Londinense* aliàs *Lundoniense* aliud 1127. *Ravennatense* an. 1128. sub *Honorio* II. item quindecim quæ ab autoribus enumerantur particularia sub *Innocentio II.* & decimum sextum Generale X. *Lateranense* II.

Idem

Idem denique patet ex ceteris sub *Cælestino* Papa 2. *Eugenio* 2. *Alexandro* 3. *Urbano* 3. *Clemente* 3. *Cælestino* 3. *Innocentio* 3. Quæ quia longum foret hic recensere, remitto Lectorem ad Auctores qui de illis scripsêre præcipuè ad Tomos Conciliorum, vel qui brevitati vult studere ad summam Conciliorum omnium Francisci Longi à Coriolano.

XII. Consensus Imperatorum Occidentis præcipuè (Nam de Orientis Imperatoribus Schismate nefando infectis, non est quod memorem) cum Summis Pontificibus eorumque autoritas hoc seculo integra permansit apud eosdem, nam excepto *Henrico IV.* Schismatico & refractario circa investituras Ecclesiasticas. *Henricus V.* ejus Successor pace inter Papam *Gelasium* 2. inita, in *Lateranensi I. Concilio* generali IX. easdem S. Romanæ Ecclesiæ & eidem Papæ Gelasio II. dimisit & restituit in integrum ut dictum Superius. Hujus verò successor *Lotharius* 2. ab *Innocentio* Papa 2. consecratur, & coronatur an. 1133. & *Fridericus ab Hadriano* Papa 4. ann. 1155. Reges porrò Galliæ in Summa Veneratione Autoritatem Romani Pontificis habebant. Certè *Ludovicus* 6. cognomento *Crassus* Regni sui primitias *Gelasio* 2. Papæ exulanti paupertate divexato, & in Galliam appulso obtulit. Baron. ann. 1118. *Innocentio* Papæ 2. obviam ivit, unà cum Regina & filiis, illumque Stempis honorificentissimè excepit ann. 1130. Hujus filius *Ludovicus* 7. aliàs IX. regnante adhuc patre in Concilio Rhemensi *ab Innocentio* Papa 2. coronatur. Ceteri etiam aliorum Regnorum Reges & Dynastæ, ut Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniæ, Hierosolymorum, Lusitaniæ, eandem sartam tectamque sacro-sanctè tenuerunt.

Consensus cum Rom. Pont. Imperatorum Occidentis Seculo XII.

XIII. Eandem Summi Pontificis hoc Seculo Autoritatem & consensum cum illo Ecclesiarum & Christi fidelium confirmat Confirmatio Ordinum Sacrorum ab illis facta eodem seculo. ut *Ordinis Præmonstratensis* sub Regula *S. Augustini* an. 1116. vel 1120. autore S. Norberto Nobile Lotaringo. Ordinis *Militum Templariorum* à quibusdam nobilibus Equitibus regnante Balduino, institutus, quorum munus erat peregrinos à Mahometanis vindicare & per Universam terram sanctam deducere. Ordo *Hospitalariorum* S. Joannis qui & *Joannitæ* ac *Rhodii* ob Rhodum Insulam quam inter alia complures occuparunt, His incumbebat peregrinos hospitio excipere. *Teutonicorum* à Germanis erectus qui quasi ex duobus coalescit Institutis antecedentibus: illi siquidem & peregrinos susci-

Confirmatio Ordinum Religiosorum autoritate suprema Rom. Pontif. & consensum cum illis fidelium comprobat.

piebant, & urgente necessitate pro religione dimicabant. Eodem tempore redintegratus fuit Ordo *Militaris* S. Lazari qui à S. Basilio longè ante fuit institutus. Ordo item *Guilielmitarum* à *Joanne Bono* Mantuano inchoatus à *S. Guilielmo* Aquitaniæ Duce sic appellatus. qui illum sub Regula S. Augustini collecta reformaverat. Ordo *Carmelitarum* in monte Carmelo stabiliri cœpit sub *Alexandro* 3. promotore ac protectore *Aimerico* Legato Apostolico & Patriarcha Antiocheno. Ordo *Humiliatorum* institutus ann. 1120. confirmatur ann. 1200. Ordo *Militaris S. Jacobi* Delpata Ordinis S. Augustini in Hispania institutus ann. 1170. à *Petro Ferdinando* cum *Alexandri* Papæ 3. approbatione. Ordo *Militaris Marianorum* Ptolomaide institutus instar Teutonicorum ann. 1190. Ordo denique *Cruciferianorum* sive *Crucigerorum* in Italia institutus ann. 1169. Hi omnes Ordines confirmati à summis Pontificibus eorundem autoritatem supremam, Consensumque Ecclesiarum atque communitatum particularium cum illis denotant.

Scriptores Ecclesiastici Seculi XII. Primatum Sedis Rom. Apostolicæ defendit.

XIV. Ipsi denique Scriptores qui hoc seculo celebres erant, id confirmant. Rupertus Lib. 9. de Processione Spiritus S. cap. 8. agnoscit *Primatum Petri* in hæc Verba Isaiæ Prophetæ. *Et volavit ad me unus de Seraphim &c.* sic interpretatur. *Rectè enim Petrus hic intelligitur unus de Seraphim: ipse enim est Apostolorum primus & ipsi præ cæteris dictum est. Quodcunque ligaveris super terram &c.* Goffridus Vindocinensis in Epist. sua 27. ad Goffridum Carnotensem Episc. dicit *minimè id retractandum quod Romanus Pontifex facit.* & ep. 30. ad eundem *eodem* ait *Spiritu quo dictante & lex prima per Moisen data est, & per Christum secunda, Sancta Apostolica sedes, leges quas Canones appellamus dedit & ipso inspirante exposuit. Si quis igitur Apostolica sede quæ leges Canonum dedit, in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit quicunque est ille sed desipit: & quia suo spiritu loquitur, non cultor vel expositor Divinæ Legis, sed insidiator & oppressor indubitanter agnoscitur.*

S. Bernardus Primatus Pontif. Rom. assertor.

S. Bernardus pluribus in locis tum præcipuè L. 2. de Contemplat: ad Eugen. Pap. III. cap. 8. singulari emphasi Primatum S. Petri ac successoris ejus Romani Pontificis describit vocans eum *Sacerdotem Magnum, Summum Pontificem, Principem Episcoporum, hæredem Apostolorum,* & quod sit *in Primatu Abel, gubernatione Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moses, judicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus.* &c.

Hugo de S. Victore serm. 64 de Apostolis Petro & Paulo. Petrus.

trus *Blesensis* in Epist. 144. ad Cælestinum Papam quos fusius citat Gaultier. hoc seculo in undecima Veritate, quosque longum esset hic recensere.

Patet igitur ex hoc XII. Seculo Ecclesiam proponentem tum Veritates fidei credendas, tum ordinem ac formam Ecclesiæ servandam fidelibus non aliam fuisse quàm ipsum summum Pontificem cum Concilio generali vel cum particulari, vel tandem cum Episcopis particularium Ecclesiarum tanquam subordinatis Pastoribus; aliis Christi fidelibus, seu ovibus cum illo unanimi consensu conspirantibus.

XIII. SECULO.

I. PRima hoc Seculo hæresis occurrit *Almarici* Doctoris Parisiensis patriâ Carnotensis, anno circiter 1204. cujus novem errores citantur à Cæsario Lib. Dialog. dist. 5. apud Prateolum, Gaultier. in seculo 13. Cæterum in Chronicô summorum Pontificum viginti colliguntur. XIII. Seculo Hæresis Almarici.

Hæc hæresis una cum Albigensium & Joachimi Abbatis erroribus, qui præterito seculo ortum suum infelicem habuêre ab Innocentio III. ann. 1215. in Concilio Generali XIII. Lateranensi IV. damnata est præsentibus Patribus Concilii plus mille ducentis octingenta quorum 70. erant Archiepisc. 400. Episcopi, 12. Abbatum, 800. Priores Conventiales. Quos inter præter Legatos summi Pontif. exstitere Patriarcha Constantin. Patriarcha Hierosolymitanus, nec non deputati Patriarchæ Alexandriæ & Antiochiæ, qui ne adessent ipsi impediti fuerunt, hic morbo, ille ab Ægyptiis. Interfuêre etiam Legati Imperatorum Orientis & Occidentis, Oratores item Regum Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Jerusalem, & Cypri &c. adeò ut celeberrimum censeatur hoc Concilium omnium Europæ Conciliorum, inquit Gaultier. cit. Idem porro Concilium ab eodem Papa celebratum fuerat pro Ecclesia in fide & moribus reformanda, atque pro Terra Sancta à Turcis recuperanda, qua de re biennio ante celebratum Concilium, hic supremus Pastor scripsit omnibus Patriarchis & Episcopis, ut ad illud accederent, scripsit quoque Imperatoribus & Regibus ut ipsi quoque Oratores ad Synodum destinarent. Hæc hæresis uti & Albigensium & Ioachimi Abbatis ab Innoc. III. in Concil. gener. Lateran. IV. damnata.

II. Exstitêre hoc seculo, & alii errores ac hæreses, ut *Davidis Dinantii* qui præter errores *Almarici* docebat Deum esse materiam primam. *Guilelmi de S. Amore* qui hostis erat religiosorum mendicantium. *Desiderii Longobardi*, qui pari furore in paupertatem Eodem seculo hæretici erant. David Dinantius.

Guilelmus de S. Amore. Desiderius. Raymundus Lullus. tatem religiosam invectus: *Raymundi Lulli*, qui docebat Deum habere plures essentias: Patrem fuisse antequam esset filius. Divinam essentiam cum otiosa non sit, essentiare, naturam naturificare, bonitatem bonifacere, Spiritum Sanctum conceptum de Patre & Filio. Crimen esse & injustitiam hæreticos ulcisci. *Flagellantium*: qui fuco pietatis & mortificationis præsertim flagellationum vultu multa scelera & mendacia obtegebant: quorum dux erat *Hermannus Italus*. *Gerardi Sagarelli* vota omnia improbantis. Juramentum dicentis, nefarium Christianis &c. Quorum hæresiarcharum erroribus enumerandis nolo immorari. Sed hi omnes quia non erant adeò celebres, facilè interiêre. Sic *Guilielmus de S. Amore* ab *Alexandro Papa IV* condemnatus. *Davidis Dinantii* à S. Thoma l. 1. cont. Gentiles C. 17. tum l. p. q. 3. a. 8. refutati *Fatricelli* in Extravagante *Joannis XX* dicti. XXII. *Sancta Romana de Religiosis domibus in 6* damnati: Eorum autem Ducis *Hermanni Itali* cadaver anno post sepulturam vicesimo exhumatum, ambustumque fuit, jussu Bonifacii. dicti VII.

Flagellantes. Gerardus Sagarellus.

III. Eodem seculo celebratum est Concilium Generale XIII. *Lugdunense* 1. generale circa annum 1245 contra Fridericum II. Imperatorem & pro terra Sancta ab Innocentio IV. indictum, eoque præsente & præsidente. Cui Concilio cum Fridericus citatus interesse renuisset, communi consensu privatus est imperio. Expeditionis verò terræ Sanctæ caput constitutus est *S. Ludovicus* Rex Galliæ, ad quod Concilium hic Pontifex omnes Episcopos Reges ac Principes orbis Christiani convocabat. Exstat Epistol. apud Binium.

Concil. Generale XIII. Lugdunense I. Contra Fridericum II. Imper. & pro terra S.

IV. Denique XIV. Concilium generale approbatum Lugdunense Generale II. à mille circiter Patribus, quorum plusquam quingenti erant Episcopi, ann. 1274. celebratum sub Gregorio X. præsente ac præsidente, contra Græcorum errores, pro terræ sanctæ recuperatione, aliisque de causis. De quo sic Trithemius in in Chronico. Hirsaugiensi. *Concilium generale celebravit* (Gregorius X.) *anno Pontificatus sui secundo, in quo multi Cardinales, Archiepiscopi, Abbates, aliique diversi generis Prælati comparuerunt, multa ad electionem summi Pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad unionem Græcæ Latinæque Ecclesiæ & ad pacem Christianorum pertinentia mature statuentes. Ibi comparuerunt Paleologus Imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertia decima vice in sententiam Romanæ Ecclesiæ Græcos suos toties deficientes Concilio necessario pertraxit.* hucusque Trith. Eidem Conci-

Concil. Gener. XIV. Lugdun. VI. sub Gregor. X. contra Græcorum errores. &c.

cilio interfuêre solennes Nuntii seu Procuratores Græcorum, qui coram toto Concilio Symbolum Nicæni & Constantinolitani Conciliorum *Credo in unum Deum* &c. cecinerunt. In eodem Concilio veritas de *Processione Spiritus S. à Patre & Filio* à Græcis recepta & utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ consensu firmata per decretale super hoc in eodem Concilio promulgatum: Cujus tenor talis est: *Quòd Spiritus Sanctus Æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno, non ex duobus spirationibus sed una Spiratione procedat; Sic professa est & hactenus prædicavit & docuit Sacro Sancta Romana Ecclesia, Mater omnium fidelium & Magistra, hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia &c.* In summa Conciliorum Francisci Longi. Ex hoc Concilio manifeste nostra assertio confirmatur. Veritatis prædictæ de Processione Spiritus S. Ecclesia proponente fuisse Romanum Pontificem cum Concilio generali.

Ecclesia Romana Mater omnium fidelium & Magistra agnoscitur in Concil. Græcor. XIV. Lugdunensi II.

V. Hoc insuper seculo plurimi Ordines Sacri à summis Pontificibus sunt confirmati: præcipuè Ordo *S. Dominici* ab *Honorio III.* ann. 1201: *Patrum Carmelitarum* ab *Honorio IV.* ann. 1205. Ordo *S. Francisci* Assisinatis, ab *Honorio III.* an. 1209. Ordo *S. Trinitatis pro redemptione captivorum.* Ordo *Fratrum Eremitarum S. Pauli,* Primi Eremitæ. *Ordo Monialium S. Claræ*, sub regula *S. Francisci.* Ordo *Canonicorum Regularium S. Marci.* Ordo *militaris*, *S. Mariæ* de *Mercede*, aliàs de redemtione captivorum. Ordo *Sylvestrinorum* seu *Regularium S. Benedicti.* Ordo *militiæ Mentesiæ* sub regula Cisterciensi. Ordo *Servitarum.* Ordo *Eremitarum S. Augustini.* Ordo *SS. Cælestinorum* à S. Petro de Morono sub regula S. *Benedicti* instituitur, & à Gregorio X. confirmatur, uti & alii prædicti à diversis *P*ontificibus. Quod ipsum signum est consensus tot populorum, autoritatisque summorum *P*ontificum in Ecclesia non postrema existimatio.

Hoc seculo plurimi Ordines sacri confirmati.

VI. Scriptores hujus seculi præcipui primatum in Ecclesias omnes Ecclesiæ Romanæ attribuunt. Inter quos velut sol elucet *S. Thomas de Aquino*, qui ea de re pluribus in locis tractat, ut Opusc. I. contra Græcorum Schismaticorum errores argumentis efficacibus etiam PP. Græcorum autoritate probat primatum S. Petri ac successorum ejus, quos vocat *Vicarios Christi*, aitque, *habere universalem Ecclesiæ primatum* &c. quem inibi demonstrat, docetque, *subesse Romano Pontifici esse de necessitate salutis.* Item 2. 2. q. 39. a. 1. *de ca-*

Scriptores Seculi XIII. Primatum sedi Apostolicæ attribuunt.

S. Thomas de Aquino.

capite Ecclesiæ, opuſculo 5. quod eſt in Symb. Apoſt. & aliis pluribus locis, quos citat Gualtier. in Seculo XIII. in collat. verit: 12. Ubi etiam adducit Teſtimonium *Nicephori Calliſti*: ſuper omnia autem luculentum eſt Patrum Concilii Lateranenſis IV. cap. 5. *Antiqua*, inquiunt, *Patriarcharum ſedium privilegia renovantes Sacra univerſali Synodo approbante, ſancimus; ut poſt Romanam Eccleſiam quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariam poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra. Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochienſis tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat, ſervata cuilibet dignitate propria, ita quod poſtquam eorum Antiſtites à Romano Pontifice receperint Pallium, quod eſt plenitudinis officii Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ juramento: quater, & ipſi ſuis ſuffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe Profeſſionem Canonicam & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab iiſdem.* Ex hactenus igitur adductis patet veritas noſtræ aſſertionis.

Nicephorus Caliſtus.

Patres Concilii Lateranenſis. Eccleſia Romana ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum. Mater univerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra à Concil. Lateranenſi IV. vocatur.

SECULO XIV.

I. ERupit è tenebris hæreſis *Beguardorum*, ſeu *Beguinorum*: à *Beguardo* ejuſdem autore, cujus decem errores enumerantur à ſcriptoribus Prateolo, Sand. Genebr. Caſtro apud noſtrum Gaultier. quos brevitatis cauſa prætermimus. Eodem tempore deſcribitur hæreſis *Dulciniſtarum*, à *Dulcino*, qui fœdis ac variis erroribus Eccleſiæ veritatem inſectabantur. Item *Templariorum*, qui etſi ſeculo 12. à ſanctè inſtituto ordine rectè cœperint, nihilominus poſtmodum à ſuo fervore deſciverunt, ab obedientiâ Patriarchæ Jeroſolymitani recedentes, & Eccleſiæ poſſeſſiones inique turbantes, decimas & primitias eiſdem ſubtrahendo, adeò ut ad *Clementem V*. ſummum Pontificem multi Principes viri detulerint eos in hæreſin, apoſtaſiam, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Per idem tempus hæreſis autor fuit *Petrus Joannis*, qui animam rationalem formam eſſe hominis negavit, gratiam & virtutes in baptiſmo non infundi aſſerebat, Chriſtumque adhuc viventem lanceâ vulneratum.

Seculo XIV. Hæreſis Beguardorum.

Dulciniſtarum. Templariorum.

Hæ itaque hæreſes ſublatæ ſunt non aliter quàm per ſummum Pontificem Clementem V. indicto & celebrato Concilio *Viennenſi* Generali XV. cum trecentis & amplius Epiſcopis an. 1311. in quo etiam Concilio expeditio pro recuperanda terra ſancta decreta, plurimæque conſtitutiones pro reformandis moribus Eccleſiæ promul-

Hæ Hæreſes ſublatæ per Clementem V. in Conc. Vien. Gener. XV.

mulgatæ; quæ extant quinque libris Clement. in Corp. Juris Canon.

Alii hæretici Seculo XIV. Barlaamus. Acyndinus. Jacobus Justus. Bonatus, Lothardus Walterus, Joh. de Policiaco. Joannes Wicleffus.

II. Fuêre hoc seculo & alii hæretici minoris notæ, ut *Barlaamus* & *Acyndinus*, *Jacobus Justus* & *Bononatus*: *Lothardus Walterus*, *Joannes de Policiaco*, Magister *Petrus de Cugneris*, & cæteri qui citantur à Gaulterio in hoc seculo. Præcipuus tamen præ cæteris eminuit *Joannes Wicleffus* natione Anglus, professione Sacerdos & Magister artium, Anno 1382. vel juxta alios 1380. autor fuit ad 45. articulorum erroneorum, quos Gaultier: enumerat. Hæc quoque hæresis in Concilio Constantinensi damnata, ut dicetur sequenti seculo.

Concil. particularia hoc Seculo celebrata.

III. Plura porrò eodem seculo celebrata sunt Concilia particularia, ut *Moguntinum* an: 1327. *Avenionense* an: 1337. sub *Benedicto* XII. in quô egregia multa Decreta ad officii Divini ritus & mores spectantia, continentur. *Anglicanum* an: 1341. *Parisiense* an: 1394. Contra schisma *Petri de Luna* Antipapæ. Alia adhuc in summa Conciliorum à Franc: Longo enumerantur, quæ omnia non sine autoritate Summi Pontificis celebrata.

Seculi XIV. res memorabiles.

IV. Res memorabiles hoc seculo à Summis Pontificibus gestæ enumerantur sigillatim de *Clemente V.* quòd celebraverit Concilium generale *Viennense*, cum magno Ecclesiæ emolumento, & incremento. De *Urbano V.* viro Doctrina vitæque sanctitate præstante, quòd Cruciatam adversùs Turcas prædicandam curaverit. *Clemens VI.* S. Ivonem Presbiterum & Confessorem, (qui tempore Honorii P. II. pupillorum, viduarum, & pauperum causas agebat) in Sanctorum numerum reposuit an: 1347. Idem eodem circiter tempore ponderatis Coronæ Franciæ in S. Sedem meritis, Christianissimo Francorum Regi potestatem fecit sub utraque specie, quandocunque id optaret, communicandi, quâ etiam potestate tum ipso die consecrationis suæ, tum in articulo mortis utitur. Ab eodem *Clem: VI.* Jubilæum à 100 ad 50 reductum, an: 1350. *Urbanus VI.* Regulæ Ordinis à *S. Brigitta* instituti confirmationem elargitur. *Visitationis* quoque B. V. M. festum constituit. Litvania tota cum Principe suo *Jagellone* & octo ejus fratribus conversa ad fidem operâ virorum Apostolicorum & S. Sedis Missionariorum, sub *Urbano VI.* an: 1386. Hæc præclarè gesta à Rom: Pontificibus nonne eorum in Ecclesiam Universam Autoritatem Consensumque particularium cum illis Ecclesiarum tanquam ovium cum pastore; filiorum cum Patre, membrorum cum Capite comprobant?

Lituania tota cum Principe Jagellone ad Cathol. Ecclesiam accessit opera S. Sedis Romanæ.

V. Por-

Scriptores hujus Seculi afferunt Primatum Ecclesiæ Rom.

V. Porrò Scriptores hoc seculo floruêre, præcipuè *Augustinus Triumphus Anconitanus*, qui in Summa de Potestate Ecclesiastica q. 7. art. 2. ad 1. Petrum scribit, *Caput Ecclesiæ totius*, & in Epist. Dedicat. ad Joannem. P. XXII. *Error*, ait *est pertinaci mente non credere Romanum Pontificem Universalis Ecclesiæ Pastorem, Petri successorem, & Christi Legitimum Vicarium.* plura habet in q. 6. art. 2. rat. 1. His similia legere est in *Petro de Palude* in 4. sent. dist. 24. q. 6. *Durandus de S. Portiano* in eâdem dist. 24. q. 5. *Alvarus Pelagius* L. 1. de planctu Eccles. art. 68. *Ludolphus Carthusianus* in 2. parte vitæ Christi c. 1. *Petrus Bertrandus* Cardin. in Tract. de Orig. & usu Jurisdictionum. h. e. de potestate spirituali & temporali q. 2. *Nicephorus Gregorius* L. 5. Hist. Constantin. sigillatim testatur *Michaelem Palæologum* Imperatorem Legatos ad Summum Pontificem misisse pro reconciliatione Ecclesiæ Novæ Romanæ h. e. Constantinopolis cum Ecclesia veteris Romæ, quos benignè excepit Summus Pontifex, expetitamque reconciliationem admisit sub tribus conditionibus: *Primum ut in Sacrorum Voluminum hymnodiis Papæ cum 4. Patriarchis mentio fieret &*, Alterum, *ut liceret cuivis Romam Veterem, quæ Curia major & perfectior esset, appellare.* Tertium, *ut illi Principatus in omnibus deferretur.* Ex hoc itaque etiam seculo XIV. patet veritas assertionis nostræ Catholicæ.

Michaël Palæologus Imper. Legatos ad Summ. Pontif. mittit pro reconciliatione.

SECULO XV.

Seculo XV. Hæresis præcipua Hussitarum.

I. PRæcipua hæresis hujus seculi fuit orta autore Johanne *Hus*, *Hussitarum*, cujus hæreseos 30 errores enumerantur, tum à Scriptoribus, tum à nostro Gaultiero, ac sigillatim in Concilio Constantiensi. Eandem hæresin promovit. *Hieronymus Pragensis*, *Petrus Dresdensis*, *Jacobellus*, *Johannes de Ziska*, Dux Taboritarum. Quorum inter alios præcipuus error fuit in hoc, quòd Laicis non jejunis post cœnam Eucharistiam idque sub utraque specie porrectam distribuebant, ex hoc præcipuè capite, quia docebant, Sacramentum hoc juxta institutionem Christi celebrandum. Cùm autem hoc Sacromentum Christus D. sumptâ prius cœnâ instituerit, & separatim speciem panis, sub qua ajebant esse solum corpus absque sanguine, & separatim speciem vini, in qua etiam solum sanguinem absque corpore asserebant, distribuerit: ideò necesse esse, ut post sumptam cœnam non jejuno stomacho, & sub utraque specie fidelibus distribuatur. Contra hanc hæresin uti

& con-

& contra *Joannis Wicleffi*, de quo in superiori seculo *Petri Dresdensis*, & *Jacobelli* celebratum est Concilium Generale Constantiense ann. 1441. sub Joanne XXI. aliàs XXIII. inchoatum, anno autem 1418. sub Martino III. alias V. terminatum.

Quæ damnata Concilio Generali Constantiensi.

Porro circa hoc Concilium duo hic necessaria annotanda sunt: (1.) id quod passim opponitur nobis à Dissidentibus. Hoc Concilium reprobatum esse, adeoque pro illegitimo habendum, per consequens ea quæ in eodem decisa, nullius esse valoris. Sed ad hoc respondetur: Hoc Concilium non esse reprobatum absolute & simpliciter, sed solum quoad eas sessiones, ubi definitur Concilium esse superius Papa: In qua ipsa definitione adhuc excusatur hoc Concilium ab A. A. cum Bellarmino de Concil. Autor. L. 2. c. 19. Non enim definivit absolute Concilia Generalia habere à Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum in casu, i. e. tempore Schismatis, quando nescitur, quis sit Verus Papa: nam dubius Papa habetur pro non Papa & proinde habere super ipsum potestatem, non est habere potestatem in Papam. Nam etsi Concilium sine Papa non potest definire nova dogmata fidei, (ut etiam supra deductum) potest tamen judicare tempore schismatis quis sit verus Papa, & providere Ecclesiæ de vero Pastore, quando is dubius aut nullus est, & hoc est quod recte fecit Concilium Constantiense, deponendo *Joannem XXIII. Gregorium XII.* & *Benedictum XIII.* & eligendo *Martinum V.* Quanquam *Joannes* & *Gregorius* non inviti depositi sunt: nam ipsi etiam sponte renunciarunt Pontificatui, ut patet ex Act. Concilii hujus Sess. 12. & 14. *Benedictus* autem non cessit, sed post ejus obitum Clemens VIII. successor ipsius cessit Martino V. quem omnis Ecclesia ut Verum Pontificem venerabatur, ejusdemque Concilii approbationem quoad Posteriores sessiones præsertim uniformiter acceptavit.

Quo sensu Concil. Constantiense definivit Concilium superius esse Papa.

III. Opponitur. Quod hoc Concilium directè contra Christi D. institutionem, nimirum ut *omnes communicent sub utraque specie*, definiverit, *hoc non obstante ut omnes communicent sub una*: id quod est damnare Christi D. ipsius doctrinam. Sed & ad hoc Respondet Bellarminus: id *esse mendacium intolerabile*. Verba enim Concilii longè aliud sonant. Ita enim habet Concilium: Postquam illa duo præmemorata Hussitarum dogmata quæ pertinaciter *contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam* asserebant, attigisset. *Licet*, inquit, *Christus* (1) *post Cœnam instituerit, &*

Concil. Constantiense declarando usum unius speciei in SS. Eucharistia non repugnat doctrinæ Christi.

(2) *suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante Sacrorum Canonum autoritas ac laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quòd hujusmodi Sacramentum non conficiatur post cœnam, nec sumatur à non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso &c.* Ubi hæc verba *hoc non obstante* referuntur, solum ad primum dogma, quod scil. hoc venerabile Sacramentum institutum sit post cœnam, distributumque Apostolis non jejunis, quod Hussitæ perfrictim propugnantes introducere satagebant contra Canonum autoritatem & laudabilem ac approbatam consuetudinem Ecclesiæ, penes quam potiùs standum esse, definivit Concilium. Circa secundum autem non utitur his verbis, sed solùm ait. *Et similiter quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod à conficientibus sub utraque specie, à Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur &c.* Ubi Concilium hoc non novum aliquod dogma definivit, sed solùm antiquæ Ecclesiæ consuetudinem de utroque præmemorato puncto, cui Hussitæ repugnabant, confirmavit: Neque sese opposuit doctrinæ Christi de hoc Sacramento: neque enim ait, *licet Christus D. instituerit vel præceperit*, sed solum *licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur* &c. & cùm id vocet *consuetudinem* non de substantia sed solùm de usu ejusdem agebatur: circa quem usum Ecclesiæ liberum fuit semper disponere, id quod imprimis Apostoli fecêre, teste de se ipso D. Paulo. *Cætera*, inquit, *cum venero*, *disponam* 1 Cor. 11. ult. & tam is, quam alii Apostoli usum ejusdem SS. Sacramenti propter reverentiam majorem mutarunt, ne scil. post cœnam vesperi, sed mane & jejuno stomacho sumeretur. Id quod expresse testatur S. Augustinus Epist. 118. *Talis*, inquiens, *Traditio est*, *ut Eucharistia sumatur à jejunis*, *cum tamen Christus post Cœnam eam instituerit.* Eam porro traditionem semel ab Apostolis acceptam Ecclesia post Apostolos semper servavit. Similiter & usum unius vel utriusque speciei Ecclesia juxta causarum & circumstantiarum exigentiam tenuit. Sic sub *Leone* & *Gelasio* ordinatum fuit, ut ad Manichæos vinum à malo Deo creatum perperam docentes, adeoque una cum Catholicis sub una specie communicantes, detegendos, omnes fideles sub utraque specie communicarent. Idem confirmatur

Circa usum Sacramentorum liberum est Ecclesiæ disponere.

Ita disposuit circa usum SS. Sacramenti.

tur à pari de Sacramento baptiſmi: cum enim in primitiva Eccleſia ordinatum fuiſſet, ut omnes per trinam in aquis immerſionem baptizarentur, ad profitendam SS. Trinitatem in veritate eſſentiæ, contra hæreticos eam negantes, prout in Can. 49. Apoſtolorum præcipitur, & Tertull. L. de Corona militis pro Traditione Apoſtolica habet. Nihilominus tamen orta poſtea alia hæreſi, baptiſmum reiterandum docente, idque practicante, ne Catholici in trina merſione illis conſentire viderentur, Eccleſia ſtatuit, ut patet ex Concil. Tolet. IV. can. 5. ut *unicâ tantum merſione baptiſmus perficeretur*. Quod itaque tunc Eccleſia ex poteſtate à Chriſto ſibi tradita facere poterat quoad uſum baptiſmi ſalva ejus ſubſtantia: hoc eadem ob certas cauſas & propter uniformitatem totius Eccleſiæ circa uſum SS. Sacramenti ab antiquo uſurpatum contra errores hæreticorum potuit ſtatuere ſalva ejuſdem ſubſtantia. Veritas itaque fidei circa uſum SS. Euchariſtiæ jejuno ſtomacho & ſub una ſpecie firmata eſt à Pontifice *Martino V.* cum Concilio hoc generali.

Ita & circa uſum Sacramenti Baptiſmi.

IV. Eodem ſeculo celebratum eſt Concilium generale *Baſileenſe*, ibidem inchoatum an. 1431. continuatum verò partim ibidem partim Lauſannæ uſque ad annum 1449. Quo tempore & Concilium & *Amedeus* Antipapa ſchiſmaticè electus, falſeque nominatus *Felix V.* ceſſerunt *Nicolao V.* qui hujus Concilii ſolùm quaſdam cenſuras & cauſas Beneficiales ad tuendam pacem ratas habuit.

Seculo XV. celebratum Concil. Baſileenſe.

V. Celebratum eſt denique generale XVI. approbatum *Ferrariæ*, an. 1438. inchoatum, & inde ob peſtilentiam tranſlatum *Florentiam*, ibique perfectum ann. 1439. præſidente Eugenio IV. contra errores Græcorum Schiſmaticorum. Huic interfuerunt *Joſeph* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Florentiæ vitam cum morte permutavit. *Joannes Palæologus*, Orientis Imperator, multique Cardinales & Epiſcopi tam Græci quàm Latini. In eo inſtaurata fuit fidei unio cum Eccleſia Romana non modo à Græcis verum etiam ab *Armenis* & *Jacobitis*, admiſſumque *Sacramentum Confirmationis*, nec non articulus de *proceſſione Spiritus S. à Patre & Filio: Purgatorium: Conſecratio in azymo pane: Primatus Cathedræ Romanæ*: ac demum Cardinales creati *Beſſarion Trapezontinus*, *Niceæ* Archiepiſcopus & *Iſidorus* Theſſalonicenſis Ruſſorum Archiepiſcopus, qui Eccleſiarum Concordiam non mediocriter promoverant. Veritates in

Item Concil. Florentinum contra Schiſmaticorum Græcorum errores.

hoc Concilio ſtabilitæ firmant aſſertionem noſtram de proponente veritates fidei Eccleſia Romana per ſummos Pontifices in vel extra Concilia &c.

Item Lugdunenſe particulare.

VI. Ponitur adhuc à Gaulterio in hoc ſeculo ultimum Concilium Lugdunenſe, an. 1449. ad tollendum Schiſma *Amedei* contra *Nicolaum* cui ille libere ceſſit rogatu Concilii ac *Friderici III.* Imperatoris.

Scriptores Eccleſiaſtici hujus ſeculi Primatum ſedis Apoſtolicæ firmant.

VII. Scriptores qui hoc Seculo floruêre, ſunt præcipui *Thomas Waldenſis*, hic contra Wicleffum egregiè defendit *Primatum Papæ*. Tom. 1. Doctrinalis fidei. art. 3. cap. 32. vide cit. à noſtro Gaulterio hoc Seculo in XI. veritate. *B. Laurentius Juſtinianus* eundem aſſerit in lib. de Obedientia cap. 12. Patres denique Concilii Florentini ſeſſione ultima eundem propugnatum perpetuæ tradiderunt memoriæ, eodem planè ſenſu & verbis quibus utuntur Patres Lateranenſis IV. cap. V. quæ ſupra in XIII. Seculo N. VI. citantur, ut proinde ſupervacaneum cenſeam illa hic repetere.

SECULO XVI.

Seculo XVI. exortæ hæreſes in Concilio Tridentino à ſummis Pontificibus finitæ.

VEnimus jam ad illud infelix ſeculum in quo Eccleſiæ Catholicæ Sanctique Petri navicula tot tantiſque concuſſa turbinibus ac tempeſtatibus, ut nunquam ante retroactis ſeculis (ſi Arianam excipias hæreſin) autore ac primicerio Luthero, ab innumera prope hominum diverſa ſentientium multitudine, in eo tamen uno convenientium ut dicto velut ſacramento, junctiſque manibus unam oppugnarent quin peſſundarent, Romanam vel hoc nomine Catholicam Eccleſiam ejuſque ſupremum viſibile in terris caput, ſua deturbarent ſede & primatiali dignitate. Unum inſuper omnes armorum genus aſſumpſere, verbum Dei videlicet ſcriptum, repudiata Eccleſiæ Catholicæ Autoritate: aſt ita ut illud omnes & ſinguli prout ſuus cuique autor eſt animus explicantes & fidei dogmatibus applicantes, & veterum hæreticorum errores è tenebris in lucem produxerint, ſuoſque proprios innumeros prope accumulaverint. Hi omnes eadem plane Regiâ via quâ hactenus Eccleſia firmo pede inceſſit, in Concilio Tridentino ſunt ſublati, id quod à nobis ſupra demonſtratum eſt. Manuduct. V. Propoſit. V. ut proinde omnibus huic ſtandum obtemperandumque ſit, cui cum perfrictim repugnent in decretoriam Samuelis ſententiam volentes nolenteſque incidunt. *Quoniam*

Cui diſſidentes obtemperare tenentur.

niam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare , & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. 1 Reg. 15. 33. nec illam veritatis æternæ effugiunt huic Conſonam, *Qui non audierit Eccleſiam ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Unde quod D. Auguſtinus de erroribus Pelagii in Concilio Carthaginenſi & Milevitano ſub Innocentio I. damnatis ſcriptum reliquit. Serm. 2. de verbis Apoſtol. Hoc idem paucis mutatis de Lutheri aliorumque, ſeu ejus ſequacium, ſeu in diverſa euntium erroribus, proferre poſſum. *De hac cauſa jam Concilium* Tridentinum *à ſede Apoſtolica celebratum eſt. Cauſa finita eſt, utinam error aliquando finiatur!* Qua de re ſi vita comes fuerit, tractatum conſcribere in animo habemus, quo demonſtretur *Bella finita ſeu finem controverſiarum in cauſa fidei, quæ præterito ſeculo a Diſſidentibus Proteſtantibus mota, Sacroſancto Oecumenico Concilio Tridentino impoſitum.*

Et hæc ſufficiant ex Hiſtoria Eccleſiaſtica ad comprobandas & propugnandas Catholicas aſſertiones ſupra poſitas: quòd Eccleſia proponens veritates fidei à Deo verè revelatas, non ſit ſolum Concilium generale abſque ſummo Pontifice, ſed utrumque ſummus Pontifex cum Concilio generali, & ſi & quamdiu hoc non adeſt. Summus Pontifex ceu Paſtor & caput Eccleſiæ unanimi ſenſu & conſenſu cum ceteris ſubordinatis Epiſcopis ceu Eccleſiarum Paſtoribus totoque vel plurimo fidelium cœtu ceu ovibus ac membris in veritatibus fidei credendis conſpirans ſeu in particularibus Conciliis ſeu extra illa. Nec verò ad ſequentia deſcendo ſecula ut ex eiſdem allatam Propoſitionem comprobem, id enim ita manifeſtum eſt, ut hunc ſanctum planè, & non ſine Numine Divum unanimem conſenſum ſummi Pontificis ceu Paſtoris cum ovibus, Capitis cum membris non Divinum opus, ut defacto eſt, ſed Myſterium iniquitatis Antichriſticum impudente calamo & ore vocitent, hodierni Diſſidentes perplures quanquam & de præteritis præſertim à Gregorio M. non abſimile iniquum ferant aliqui judicium, plerique in reprobum ſenſum acti, & vel eſt eo quia à communi & unanimi ſenſu Eccleſiæ Catholicæ diſſidentes omnem ſe veritatis ſalutiſque ſenſum amiſiſſe demonſtrant.

Hinc jam pro colophone Scrutatori veritatis fidei Orthodoxæ concludendum eſt taliter.

Illa Eccleſia in qua ſummus Pontifex ceu Paſtor & Caput Ec-

clesiæ Veritates fidei verè à Deo revelatas docet ac proponit, supra explicatâ via, videlicet quinque supra positis mediis seu Argumentis, est verè & reapse Ecclesia Catholica proponens veritates fidei Universis Christi fidelibus credendas & tenendas.

Atqui sola Romana Ecclesia est illa in qua summus Pontifex ceu Pastor & Caput Ecclesiæ Veritates fidei verè à Deo revelatas docet & proponit, supra explicatâ viâ videl. quinque sup. positis mediis seu argumentis.

Ergo sola Romana Ecclesia est Ecclesia Catholica proponens Veritates fidei verè à Deo revelatas.

Major constat ex Manuductione III & IV.

Minor ex Manuductione V.

Conclusio suapte natura sequitur. Inferri possunt & illa 4. sup. posita. Manud. 4. Propos. 2. Consectaria. 1. quod scil. sola Rom. Ecclesia facillimè omnibus difficultatibus in fide satisfacit. 2. Omnes contrarium sentientes hæreticos erroris convincit. 3. Sola est Unica. 4. sola vera, & verè orthodoxa.

Quod si ita est, ut omnino esse probavimus. Igitur scrutatori Veritatis & Unicæ salutis animæ suæ amanti omnino necesse est, ut hâc viâ Regiâ incedat, salutemque æternam quærat, ut in hujus Ecclesiæ S. Matris gremio vivat, vitamque claudat temporaneam, ab æternâ aliàs excludendus.

Quia verò magnam ad movendos animos mortalium vim habent Exempla, & ut vulgò fert Parœmia, *longum iter per præcepta breve per exempla*; ideò pro coronide Regiæ hujus viæ adducemus catalogum nonnullorum (neque enim facilè est omnium inire numerum) variæ conditionis hominum, qui hâc vitâ Regiâ incessêre abjectis Sectarum suarum erroribus, veritatemque fidei Orthodoxæ agnovêre Ecclesiæ Catholicæ Romanæ reconciliati, sit igitur.

MANUDUCTIO VI.

Adducuntur exempla plurimorum Protestantium, qui agnitis & rejectis suarum sectarum erroneis dogmatibus hac Regiâ viâ Veritatem Orthodoxam amplexi, victas vinctasque Ecclesiæ Catholicæ Romanæ manus dedêre.

Ordi-

ORdiemur inprimis, à Coronatis Capitibus Ducalibusque mitris fulgentibus Personis:

Reges, Dynastæ, Principesque Viri.

Henricus Rex Navarræ, una cum Ludovica Regis Galliarum filia Renata Herculis Marchionis Ferrariæ conjuge.

Serenissima Christina Regina Sueciæ Gustavi Adolphi Regis Suecorum filia.

Serenissimus Jacobus II. Rex Anglorum hic & nunc feliciter, gloriosè, & pacificè regnans utinam quàm diutissime.

Wolfgangus Wilhelmus Dux Neoburgensis.

Dux Bulonius Gubernator Mastrichii.

Jacobus Marchio Badensis.

Christianus Wilhelmus Princeps & Marchio Brandeburgicus.

Serenissima Principissa Friderici Palatini Rheni filia.

Alexander Sonderburg. Holsatiæ Dux, unaque cum illa de sanguine Ducum fœmellæ.

Henricus Julius, & Franciscus Erdman Duces Saxoniæ.

Franciscus Carolus Dux desiderio sese cum Ecclesia Catholica Romana uniendi immortuus fertur.

Augustus & Johannes Fridericus Duces Brunswicenses & Luneburg.

Ulricus Dux Würtenbergensis.

Christianus Dux Mechlinensis.

Edwardus Palatinus Rheni.

Radzivilius Dux ex Lituania.

Princeps de Eggenburg.

Ragoci Princeps Transylvaniæ unà cum Matre.

Fridericus, Georgius, Christianus, omnes hi tres Principes & Marchiones Hassiæ.

Joannes Ludovicus, Joannes Sigismundus, & Gustavus Adolphus, omnes hi tres Principes & Comites Nassoviæ.

Bruno, Wolfgangus, & Philippus omnes tres Comites Mansfeldiæ.

Princeps de Darmstat.

Princeps Sulzbacensis.

Princeps Durlacensis Saxoniæ Hallensis ann. 1684. Marchio de Swerin.

Comi-

Comites, Liberi Barones, Equites, Generales, Colonelli &c.

AVersberg. Altheim. Tracin. Cincendorff. Hoffkirchen. Rhevenhiller. Lamberg. Colonitz. Puchaim. Radtmansdorff. Tursones. Swarcenberg. Traudiſch. Trautmansdorff. Nadaſti. Truliſſes. Oppersdorff. Boinnenberg. Pohlheim. Salenburg. Lytzow. Lecheim. Hardecle. Raimſchuſſel. Tattenbach. Egg. Funf kirchen. Morsburg. Turiani. Sarau. Herbersdorff. Leole. Thanhauſen. Salmis. Schattenberg. Sintzendorff. Iſenburg. Scherotin. Nothaff. Kolowrat. Avanwurtz. Schliking. Trandorff. Petzevicius. Windiſchgratz. Manndorff. Muſcon. Waldkirchen. Weiſſenwolf. Fürſtenberg. Herberſtein. Aboudtkhun. Wagenburg. Kuffſtein. Ortenburg. Paradiſer. Noſtitz. Schafftenberg. Schlich. Helfſtein. Buthiani. Eſtechaſy. Schaffgotz. Dioraſs. Jorgerius. Kantzau. Gonnius. Wertheim. Walſch. Kainach. Oppeln. Aichelburg. Griſsheim. Teuſſel. Colonna. Eiberwald. Cazianer. Gleichbach. Valtod. Lamingen. Gloyack. Schmid. Juſtus Gebbard. Neuhaus. Buſck. Poſt. Rauber. Spanbo. Croneg. Buchdorff. Rabenavius. Genger. Czevikan. Gallen. Schubardt. Sonnau. Columba. Schwaben. Grisheim. Roſſwurm. Brudski. Culmayer. Butzer. Gattenburg. Wilzdum. Foppius. ab Aitzima. Chriſtianus Theodori. Bernardus Malinkotius. Georgius Marſchalck Equ Brem: Freyher von Nimbſch. Rabenhaubt. Volmar. Gerus. Ferenberger. Guttinger. Pfaltzer. Eltzius Rauu. Weſchfenning. Sathauſen. Joannes à Reck. Szytius. Suecicus Legatus in Portugallia, Ordinem S. Franciſci ingreſſus. Comes de Hohenlohe publicè è manibus Sereniſſ. Electoris Moguntini SS. Euchariſtiam accepit. Generalis Tureinius. Galliarum Dux Generalis. Suecius Generalis Wittenberg, in Polonia paulò ante mortem. Generalis Goetz. Generalis Suſa. Generalis Uladiſlaus Spaar Berlinenſis. Generalis Auditor Hoffman Commenda Hammerſteini. Comes de Benthem. Baro von Erbenkamp cum ſua conſorte & omnibus liberis quorum tres filii, quatuor filiæ A. D. 1684. Coloniæ. ejuſdemque Notarius Joan. Bertram. Nob. D. Han intimus Conſiliarius Ducis Mecklenburgenſis. eodem ann. ejuſdem quoque Frater Marſchalcus Ducatus Mecklenb. ac plures alii eidem à ſervitiis. Nob. D. de Molſane ann. 1685. Hamburgi. Illuſtriſſimus & Excell. D. Chriſtoph. Leopoldus Schaffgötſche Comes & S. Rom. Imperii L. B. Præſes R. C. in Sileſia.

Perſo-

Personæ Illustres magnaque notæ sigillatim in Polonia, Prussia, Livonia, Curlandia

GAsparus Dönhoff Palatinus Siradiensis, cum totâ illustrissimâ domo. Gothardus Joannes de Tiesenhausen Palatinus Vendensis unà cum totâ familia. Comes de Butler Succamerarius Regni Poloniæ una cum totâ domo. Tota familia de Ludinhausen, dicta Wolff. Tota familia Sueriniana de domo Alschwangen. Tota familia de Siebergen. Tota familia Colonelli Berch. de Carmel, uti & Patruelis ejus Vice Colonellus Gasparus Adamus Berch. D. supremus Burgrabius Fischer una cum Filiis. D. Generalis Boclumb una cum Fratre Officiali. D. Otto Ehwald Haudring Serenissimi Regis Camerarius. D. Felchersamb nunc Palatinus Czernichoviensis una cum familia sua. D. Thatwin. D. Klaad. D. Lebel ejusque frater. D. Thätin D. Major Hülsen. D. Schurstat. D. Christophorus Furchs de Nurmr. D. Schenwing. D. Nicolaus de Manteuffel. D. Trocken. D. Ritt. & alii plures, omnes sanguine illustres, dignitatibus atque officiis eximii.

Viri Excellentes & Eruditi, Superintendentes, Prædicantes, Doctores Theologiæ, Juris, Medicinæ, nec non Philosophiæ, Licentiati &c.

PEtrus & Hadrianus de Vallenburg Fratres jam Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi & Suffraganei. Georgius Vincelius. Franciscus Badvinus. Bernard. Ochinus. Valentinus Parcæus. Sebastianus Faschius. Joannes Brumerus. Thorsius. Quadrantinus. Petrus Gudsemius. Justus Lipsius. Jodocus. Coccius, Jarricus, Jeremias Ferrerius. Hunterus Suecus. Groshansius. Petrus Burtius. Joannes Barclaius. Georg. Cassander. Jacobus Raabus. Canai Rhætus. Decumanus. De Villa Nova. Joan. Harennius. Sixtus Sartorius. Steinbachius Danus. Augustus Fascherus. Georgius Reuterus. Fridericus Stapylus. Gaspar. Francus. Joannes Engerdus. Fabius. Gaspar Schoppius. Joannes Marinus. Henningus Sothoff. Saurmannus. Thomas Vitus. Clovetus. Joannes Kircher. D. Herbenius. Bernard. Sutholtzius. Henricus Keddius. Brauthlachtus. Goldastus. Lindenspirius. Oschenbachius. Dollingerus. Justus Vondelius. Joannes Bening. Joannes Muthusinus. Noëlius. Grebinii. Krynechius. Widenburgus. Molinus. Senator Embricæ. Theodorus Simon. Brachetus. Balthasar Reydl. Henricus Jordanius.

nius. Casuaboni filius. Barthol. Nigrinus. Philippus Caroli. Milleterius. Codurcus. Fridericus Gester. Henricus Schachtius. Rytnerus. Vinterus Ottho Melander. Rautenstenius. Sonnemanus. Franciscus Spira. Eumenius. Vitus Erbermannus. Tetterbornius. Bochorsius. Bernardus Rottendorff. Martinus Stricerius. Hieron. Volsecus. Laurent. Buellius. Joannes Zechlinus. Martinus Janick. Draco. Justus Calvinus Baromus. Arnoldus Mechovius. Godefridus Adolphius Volusius Theol. Doctor. Martinus Eisengrein. Henricus Spondanus. Stanislaus Orichovius. Joannes Pistorius Hiddanus. Gaspar. Ulenbergius. Basilius Rothomagensis. Eilbrachtus Horneccius. Joannes Agricola de Eisleben. Theobaldus Thamerus. Sehenderus Concionator Principis Baden. Lahusius Osnaburgensis. Joannes Korning Livon. Joanes Bapt. Fickler. D. N. Kleist Illustr. Electoris Brandenburg. Consiliarius & Præsident. Pomeraniæ. Bartholdus Nihusius. Christophorus Besoldus. Lucas Holstenius. Fridericus de Salis Oxelius. D. Joannes Scheffler. Georgius Granenfeldius. Melchior Martingus. Vitmannus Ratisbonensis. Georgius Geyer Nurenbergius. Petrus Vernichius. Christophorus & Christianus Fischer, fratres Magdenburg. Ludimagister Grieffenshagæ in Pomerania. Doctor Siersdorff, Coloniæ. Henricus Bender. Doctor Juris Francofurtensis N. N. Theolog. Doctor Francofurtensis. N. N. Paganinus Gaudentius. Henricus Vesenbecius. Reinhardus Bachovius. Henricus Julius Grashoff. Voisius à Todenwerd. Speidel. Doctor & Jur. Professor Tübing. Henricus Joan. Fridericus Benignus Elbingens. Everdingus Wolfebytanus. Arnoldus Corvinus Pater cum Filio. Smitius Concionator Neomag. Mulmanni Fratres. Martinus Sibenius cum duobus fratribus. D. Bidermann Uratislaviæ. Adamus Lovermannus. Helfricus Ulricus Hunnius, Professor. Jur. Marpurgi Hessiæ. Petrus Ostermannus, Doctor Jur. Marpur. Joannes Adolphus Cypræus. Steinius Cancellar. Hildesheim. Joachimus Schachtlebius. Rinskottus Hag. Petrus Neuskerkius. Franciscus Giesen ad Aulam Concionator, & Doctor Hieronymus Dukelius. Joannes Linkerius Harlenderus. Joannes Gaspar Waldlauff, Concionator Freibergensis. Joannes Hoffer. Doctor Theologiæ & Professor Lipsiæ. Superintendens & Concionator Metis. Doctor Daniel Disburgiæ. Theodorus Sprenger. Doctor Jur. Francofurti ad Mœnum. N. N. Rector Gymnasii Bremensf. Andreas From Illustrissimi Principis Brandeburg. Consiliarius & Præpositus Coloniæ. Lucas Holsteinius

nius Hamburg. Vir in Philologia tam Sacra, quam profana summopere eruditus, de quo etiam testatur Journal des Sçavans ad an. 1668. Romæ non infimos honores consecutus dum à summo Pontif. Bibliothecarius supremus Bibliothecæ Vaticanæ designatus fuit. Petrus Lambecius Hamburg. Prof. & Rector Gymnasii in Historicis versatissimus: lustrata Italia Viennæ ab August. Imper. Bibliothecarii Vindobonensis Biblioth. munere condecoratus mortuus in Cathol. fide, sed vivit in opere illo celeberrimo Vindobonensi Bibliotheca ab ipso conscripto Theodorus Frider. Stadlender Doct. Med. Regiom. Joannes Decumanus Concion. Luther. scripsit contra D. Polycarpum Lyserum. &c.

Personæ variæ conditionis partim Autori cognitæ, partim ejusdem opera viâ hâc Regiâ manuductæ ad S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ gremium.

PRimus occurrit Illust. & Excell. Comes Uladislaus Denhoff Palatinus Pomeraniæ, qui mihi notissimus, ac singulari in me propensione ferebatur. Is sæpe in discursu familiari referebat sibi maximum fuisse motivum, debereque omnino esse cuivis Dissidentium ad Castra Cathol. Romanæ Ecclesiæ accedendi, quia nimirum in ea, semper viguit, vigetque eximia & mira planè subordinatio, & obedientia, ac per consequens conjunctio in tot populis, tot tamque distinctis, legibus, linguâ, moribus, nationibus, inferiorum cum superioribus ac tandem cum supremo visibili Ecclesiæ capite, sine qua certe nulla Respublica, nullum Regnum, nulla denique etiam minima communitas subsistere potest. Is, (ut insuper aliqua de viri immortali memoria digni morte memorem) quando Serenissimus Rex Regnumque Poloniæ cum Augustissimo Imperatore contra Turcam fœdus iniit, sese ad expeditionem Viennensem disponens, sæpe me, multisque aliis amicorum, domesticorumque præsentibus intimo animi sensu repetebat, si, inquiens, Divini Numinis decreto eo anno sibi è vitâ discedendum foret, non aliam optare mortem oppetere, quam hocce in bello: neque enim, adjungebat causam, existimo beatiorem mihi contingere posse mortalis vitæ periodum finiendi, quam in causa tam justa, tamque bona ac pia; quippe pro Sancta Jesu Christi fide & Ecclesia vitam immolando. Respondit cœlum ejus piissimus votis: nam sub Strigenio à Victoria Viennensi 7. Octob. dum sese pro Deo & Patria velut murum opponeret, admonitus à non nullis, ut statio-

nem suam desereret, seque servaret patriæ, firmo animo & pede ut Christianum decebat Heroem in acie consistens mortemque sibi cœlitus destinatam gloriose excipiens fatis non hosti cessit: una cum cohortis suæ hastatæ Vexillifero Joanne à Baucendorff Kessowschi, qui olim meus discipulus, post ob nobilissimas præsertim à rara facundiâ dotes à tota Prussiæ Nobilitate in amore æque ac honore singulari habitus, dignus qui gemma alterque Tacitus Prussiæ apud posteros audiat. Hic uterque velut sacramento sibi invicem dicto magnis itineribus ingentibusque ausis Serenissimum Regem ad Viennæ à Turcica obsidione eliberationem properantem, subsequebantur, me eosdem comitante. De his profecto id Verè dici potest, quod de SS. Apostolorum Principibus Petro & Paulo Ecclesia celebrat. *Quomodo in Vita se dilexerunt, ita & in morte non sunt separati.*

Adjungo Palatino Pomeraniæ Palatinum Mariæburgensem S. Imperii Comitem. Comiti, Fratrem Patruelem fratri Illustr. & Excellm. D. Ernestum Dœnhoff rebus præclarè tam sago, quàm togâ gestis & adhuc gerundis Polono Orbi celeberrimum. Cujus Martia Virtus, utpote Generalissimi Germanicarum in Polona militia Copiarum cùm aliis multis expeditionibus, tum sigillatim Viennensi enituit. Ecclesiæ S. Matri reconciliatus opera S. Thomæ Modrianewski magni in Societate & Provincia nostra Theologi. Cum vero maximum dubium habuisset circa utramque speciem SS. Eucharistiæ Sacramenti illud tandem hac via Regia superavit: nim. Ecclesiam Catholicam in proponendis rebus fidei errare non posse, utpote à Spiritu S. omnem veritatem edoctam.

Joannes Bernig Colonellus Sacræ Regiæ Majestatis Poloniarum Legatione aliàs honorifica functus à Seren. & potentissimo Rege Poloniarum, ad Serenissimum Regem Regnumque Sueciæ.

Elias von Treuen Schroder Gedanensis è primâ illius Civitatis Prosapiâ Patricius Vir ut magni ac perspicacis ingenii, ita non minoris studii præcipue in Jure Canonico & Civili; is ut mundo palam faceret, quâ Viâ ad veritatis orthodoxæ agnitionem pervenerit non nulla P. Jodoci Keddii opuscula iterato typo vulgavit, præfixa eisdem Icone supernè hinc Civitatem supra montem positam, inde columnas lauro & oliva intextas cum D. Pauli epigraphe: *Ecclesia Columna & firmamentum Veritatis*, infernè autem Pastorem oves pascentem repræsentante. Piè tandem, in professione Fidei catholicæ Romanæ ante aliquot annos Gedani ultimum diem obiit.

N. Wu-

N. Wustenhoff Secretarius Gedanensis, tum ob doctrinam, tum ob singulares naturæ dotes in magno ob omnibus ac præcipuè Magistratu honore & amore habitus. Legatione in Angliam functus omnium satisfactione, isthic prout sæpè ex ejus accepi ore, inconstantiam Doctrinæ Dissidentium demiratus, adjecit animum ad constantem sibi semper veritatem fidei in Ecclesia Catholica Romana indagandam; quam tandem sepositis omnibus mundanis respectibus heroico planè animo amplexus est, in eaque usque ad extremum Vitæ halitum perseveravit.

Joannes Schofler Physicus civitatis Gedanensis, apud exteros etiam animæ Salutarem hausit medicinam à Romana Catholica Ecclesia sibi propinatam. Ob singulares animi dotes & præcipue æquanimitatem in agendo ab omnibus summoperè amatus, & etiam post fata gratam sui apud amicos reliquit Gedani memoriam & desiderium.

Adrianus de Linda magni illius Viri ejusdem Prænominis Adriani Filius, (qui ultra quadraginta annos Gedani ad Magistratus gubernacula sedit.) Is Viam Regiam Catholicæ disciplinæ secutus, dum apud Exteros peregrinaretur plurima propterea adversa à Patre perpessus, nullis artibus ab initâ semel hac Regiâ Viâ dimoveri potuit, quin sacris initiatus primum præposituram Leoburgensem, tum Canonici Varmiensis dignitatem adeptus, rebus pro Deo & Ecclesia præclare gestis, verum sese S. R. Ecclesiæ Ecclesiasticum demonstrat.

Huic jungendus est Frater germanus Carolus de Linda, quem Martia Virtus cæteræque dotes, apud Serenissimum Principem Neoburgicum ita commendatum fecêre ut ei Colonelli & Commendantis Juliacensis Civitatis dignitas collata fuerit.

Nec ab his segregandus utpote Patruelis Frater Casimirus de Linda qui in semel cœpta viâ hac Regiâ unicæ Veritatis & Salutis suæ constanter progreditur.

Joannes Kunst Vir alias literatus cum tota suo Domo, qui à me ad Beatam æternitatem rite dispositus, eò, ut spes est, evolavit.

Joannes Heckman itidem eruditus in literis, ac sigillatim in Jure, hic & nunc Instigatoris munus in officio Spirituali Gedanensi & per Pomeraniam cum laude gerit.

Joannes Tiberi Civis Gedanensis Vir rectus & pius.

Joachimus ab Hirtemberg Pastorius in Lutherana Religione na-

natus, educatusque cum literis operam non postremam navasset, unicam Veritatem orthodoxæ Fidei jam apud Calvinistas, jam apud Socinianos, jam iterum apud Lutheranos multum diuque perscrutatus, haud reperiens, tandem Viam Regiam indagandæ Veritatis ingressus, eandem in Catholica Romana invenit, atque magna cum animi sui satisfactione amplexus est, unà cum tota sua Prosapia. Quantæ hic Vir fuerit eruditionis, loquuntur edita ab eo in publicam lucem opera: à Seren: Poloniar: Rege Joanne III. feliciter regnante ad Parochiam Gedanensem evectus, tum & Præpositi ad Sanctum Adalbertum & Officialis in Spiritualibus Gedanensis, & per Pomeraniam honore Auctus, tandem etiam inter Varmiensis Cathedræ Canonicos adlectus Frawenburgi ad Societatem Civium supernorum, ut confidimus perductus à Rege Angelorum.

Joannes Dameler Vir non contemnendæ eruditionis, pluribus annis in Lutherana Religione munus Prædicantis in Prussia Ducali obiens, ex Lectione Patrum gravissimisque rationibus primum Regiomontanorum Syncretistarum sententiam amplexus, post hanc Regiam Veritatis Viam ingressus ad S. Matris Romanæ Ecclesiæ gremium accessit unà cum sua Consorte ac Liberis à Seren: Rege Poloniar: collato sibi Burgrabii Mariæburgensis Arcis munere gaudet.

Joannes Jamborowski non paucis annis munus Prædicantis Lutherani exercens cælebs Ecclesiæ S. Matri reconciliatus, promotione Eminentissimi Cardinalis Episcopi Varmiensis sacris initiatus.

N. Assuerus Colonellus sacræ Regiæ Majestatis ad Viennam letali vulnere ictus, constantem in Fide Catholica animum ipsa honorifica morte comprobavit.

Joannes Treuge in Germana inter Polonos militia Generalis Auditoris Causarum militarium munus in hoc usque tempus cum omnium laude administrat.

Daniel Von Geheime Nobilis Polonus ex Calviniana Secta.

Non possum hic præterire eos, qui hac Regiâ Viâ incedentes, tandem etiam Societatem Nostram ingressi, mihi optimè noti, qualis fuit Pater Theodorus Lowenstein, dum Theologiam Scholasticam Leopoli tradit paralysi correptus diem obiit extremum. Pater Georgius Treuge in Rectoratu Ravensi ultimum vivere desiit Anno 1684. Is planè heroica resolutione à Patre missus Lipsiam, ut ibi literis operam navaret, & à conversatione cum Catholicis abstraheretur, inde clam abiit Romam usque, ibi susceptus atque in Polo-

loniam ad Novitiatum remissus fuerat Cracoviam. Pater Theodorus à Kreitzen Illustrissimi & Excellentissimi Domini Palatini Russiæ, supremi Exercitus Ducis Theologus. Pater Ernestus à Goes, qui jam Posnaniæ Theologiam prælegit. Pater Georgius Malcovius. P. Andreas Roberti. M. Joannes Calovius. M. Fridericus ab Oelsen.

Venio jam ad eos, quos ad S. Matrem Ecclesiam hac Regiâ viâ reduxi. Et non est quidem mentis meæ omnium & singulorum hic & nunc catalogum retexere, quorum nomina in libro vitæ esse ut confido scripta satis gaudii mihi fuerit. Possent enim variæ conditionis personæ quingentæ & ultra numerari, sed solum eos adducam, qui seu doctrinæ ac virtutis, seu generis seu utriusque gloria cæteris de vulgo excelluêre: quos inter primus sit.

Joannes Klein Colonellus Serenissimi Joannis Casimiri Regis Poloniarum ob egregia sua merita in re militari nobilitatis titulo honoratus ab eodem Rege & Republica: Ecclesiæ S. Matri à me reconciliatus ann. 1669. Dominica 23. post Pentecosten Valcii.

Tobias Hensche cœlitus etiam data sibi admonitione per visionem Beati Stanislai Kostka, ut ex fonte saliente in vitam æternam Fidei Catholicæ Romanæ salutares hauriret undas ann. 1670. die 5 Jannuarii. Pilæ.

Ludovicus Henricus Lertenius Ministri ex Marchia Brandeburgica Filius sigillatim & lectione Controversiarum Patris Coturii convictus viam hanc Regiam ingressus, non sine periculo vitæ, (quod ei Domi paternæ imminebat) veritatem Fidei Catholicæ amplexus A. D. 1670. Domin. 4. Quadragesimæ Valcii.

Joannes Mercator è Familia illius qui Atlantem Orbis edidit ætate jam Octuagenarius Cracoviæ ann. 1677. in Decembre.

Anna Habin Nobilis Fœmina ann. 1673. in Augusto Margonini.

Non prætereundus hic Paulus quidam etsi conditione Pastor Ovium ab illo tamen Pastore, Pastorum, inter Oves suas agnitus præsertim quia ab Angelo in somnis se admonitum fide bona testabatur, ut Catholicam Romanam fidem amplecteretur quod & fecit Czarnkoviæ ann 1674.

Joannes Schubert Dantiscanus in literis eruditus, Posnaniæ in Augu. ann. 1675. Ecclesiæ reconciliatus.

Ludovicus Lange Vexillifer ann. 1626. pro Festo SS. Petri & Pauli Cameni.

Ger-

Gerhardus Suecus Nobilis Sedani ann. 1677. Martinus Kratz Incola Dantiscanus. Anno 1678. die conversionis Sancti Pauli.

Joannes Kroſſ cum uxore ſua Florentina Civis & Centumvir Gedanenſis cui inter alia motiva ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium accedendi fuit, id, quod cum D. Ægidio Strauchio qui tuba & fax fuerat Gedani tumultuantis contra Magiſtratum plebis tanquam Navarchus Gribswaldiam Mari Balthico pergeret videnſque in perampla ejuſdem Bibliotheca certa notâ ſignatos libros & inquirens quinam ſint hi libri, pro reſponſo accepit, eſſe libros in quibus magnus theſaurus abſconditus foret, cumque urgeret cujus fuerint religionis? reſpondit eſſe Catholicos: inde ille tacitus apud ſe argumentatus: ſi in libris Catholicis ingens theſaurus indubiæ fidei reconditus, neceſſe ergo eſt eos veram continere religionem ac fidem. Atque adeò Catholicam Religionem & fidem eſſe omninò veram, quam tamen Lutherani communiter falſam ſtatuunt. Deinde quia idem Doctor quadam vice in publica concione palam profeſſus eſt manibus pectori pro majori, ut moris eſt, Fidei teſſera, admotis. Ego Catholicos Romanos non condemno D. Deus id à me avertat: etiam hoc non leve eidem argumentum fuit Catholicam Romanam fidem eſſe veram, quia à tantæ aliàs exiſtimationis Viro non condemnata. Plura alia iſtius Viri etſi non literati, nihilominus tamen naturali judicio recto à Deo præditi, motiva ad fidem Catholicam Romanam amplectendam non commemoro. Conjux ejus ritu Catholico ad beatam æternitatem diſpoſita pie obiit. Joannes Gerzen Hamburgo oriundus conſcientiæ anguſtiis annis pluribus preſſus nullum apud Lutheranos Miniſtros ſolatium, quo ei deſiderata mentis tranquillitas redderetur reperiens, ac proinde annis quinque abſtinens à Sacris Lutheranæ Sectæ tandem illa Regia via incedens reperit in Catholica Romana Eccleſia 7. May ann. 1679. eidem & Deo per Sacramenta vera ritè reconciliatus Gedani: jam meliori quia beata in cœlis, ut ſpes eſt pace optimè ad eandem diſpoſitus fruitur. Martinus Schmitt civis Gedanenſis tantâ à Patre Luminum fidei orthodoxæ luce illuſtratus ut non parvam pariat admirationem hominem alias non literatum veritatem fidei tam firmis poſſe defenſare argumentis. Jacobus Franciſcus Wobſer Nobilis ex Pomerania pervetuſta proſapia, nobilior à virtute, quas inter enituit ſingularis abſtinentia ab omni potu qui inebriare poteſt ſola aqua contentus. Vice-Colonellus in Sereniſſimi Electoris Principis Brandeb. militia in ſubſidium Polono exer-

exercitui ex pactis conventis juncta, summo cum desiderio ad gremium S. Matris Ecclesiæ Cathol. anhelans ann. 1684. Ubi compos factus, dum etiam ad Religiosum statum aspirat Deo Spiritum reddit Leopoli in reditu ex campo. Eodem anno & eisdem in Castris Martinus Brandeburg filius Ministri ex Pomerania ad Neostetinum hac maximè ratione convictus, quod impossibile fuerit ut Ecclesia Catholica Romana erraverit, quam proinde Lutherus reformare debuisset, ad Castra Ecclesiæ Cathol. sese contulit magna cum animæ suæ satisfactione. Matthæus Prætorius Magistri Laurea in Rostochiensi Academia donatus, annis viginti & ultra Ministri munus Nibbudzi in Prussia Ducali obiverat tandem hac eadem Via Regia Veritatem Fidei Cathol. perscrutatus, & amplexus est an. 1685. edito paulo ante Tractatu sub titulo Tuba pacis ad universos Dissidentes in Occidente Ecclesias seu Discursus Theologicus de unione Ecclesiarum, Romanarum & Potestantium. Johannes Horst Civis & Centumvir Gedanensis vir apprimè literatus, postquam aliquot annis de dubiis in fide mecum pertractasset tandem hac Regia via sibi quoque incedendum ad salutis portum ratus ann. 1686. die S. Matthiæ primam in ea sedem fixit. Johannes Rexen Nobilis Borussus eodem anno. Agnes Brzeska de Familia Roscielsciorum cum quinque liberis cum ante Socini Sectam Sectata fuisset, post ad Lutheranam animum adjecit, sed & hic mentis tranquillitate destituta, eam tandem in Ecclesia Catholica viam Regiam veritatis ingressa invenit anno eodem. Simon Petersen ex Suecia Civis & Mercator in sua Lutherana secta plurimum Zelans pro religioso diei Sabbathi h. e. Deo dicati cultu, veram ejusdem, atque istius Numinis supremi venerationem reperit in Ecclesia Cathol. anno eodem, eadem Causa Gedanum ad me veniens: qui postea proditus esse Catholicus exesse Suecia coactus, (ut ipse mihi scribit) 5. Octobr. 1686. non sine vitæ periculo Coloniam appulit. Petrus Otto Academicus Regiomontanus postquam multis annis apud Lutheranos concionatus est seposito Syncretismo quem in schismate schisma agnoscebat, veritatem Regiæ nostræ viæ amplexus eodem anno die omnium SS. Joannes Rendorff in multis Academiis versatus tandem in Regiomontana Syncretismum, quem illa Academia fovet & promovet, non posse sine nota Schismatis subsistere penitius considerando, securiorem viam veritatis in Ecclesia Cathol. iniit. Eodem anno Dominica Passionis.

Personæ, item illustres variæque conditionis, juxta catalogum, R. P. Matthæi Zeidler Societatis Jesu, Regentis Convictus Nobilium Uratislaviæ, Autori recens comunicatum.

ILlustrissimus & Excellentissimus D. Gottlieb S. R. J. Comes &c. ann. 1665. Æques aurei Velleris. S. C. M. intimus Consiliarius Ratisbon. Comitiorum Princip. Commiss. &c.

Serenissima Dux Hosteinica Charlotta Nata Dux Brigensis ex stemmate Piasteo. 1687.

Illustrissima Domina *B*aronissa Anna Maria Chanitziana nata Rauteriana conjux supremi Mareschalli apud Electorem *B*randenburgicum nunc Vidua. 1687.

Illustrissima Domina Comes Catharina de *B*reida nata *B*aronissa de *F*ürst. 1678.

Illustrissima Domina Comes Philippina de Breineriana nata Comitissa de Lippa. 1680.

Illustrissimus Dominus Georgius Rudolphus L. *B*. de Gersdorff S. C. M. Camerarius & in suprema curia utriusque Silesiæ Consiliarius, ejusdemque duo Illustrissimi filii.

Illustrissimus Dominus Leopoldus Fridericus, L. *B*. de Rechenberg. 1687.

Illustrissimus Dominus Nimpsch aulæ præfectus apud Serenissimam Ducem de Hollstein 1687.

Illustrissima Domina Kotulinskiana *B*aronissa.

Illustrissimus Dominus Joannes L. B. de Nimpsch Ducatus Schwidnicensis & Jauroviensis Capitaneus.

Ilustrissimus Dominus Wilhelmus Wenceslaus L. B. de Lilgena S. C. M. Camerarius & in Suprema Curia utriusque Silesiæ Consiliarius.

Illustrissimus Dominus Otto L. B. de Hack Ducatuum Schuidnicensis & Jauroviensis Senior 1685.

Illustrissimus Dominus Cæsar Maria Pestalozzi. L.B. de Sonderek.

Illustrissimus Dominus Carolus Ferdinandus L. B. ab Eben supremus Vigiliarum Præfectus.

Illustrissimus Domin. Comes à Dünnewaldt Generalis Cæsareus.

Illustrissimus Dominus Wolfgangus Ernestus Saurma. L. B. de Geltsch Vir Regius & senior in Ducatu Wratislaviensi.

Illustrissimus Dominus Comes Colonna L. B. de Fels.

Illustrissimus Dominus Baro Planckowski. 1687.

Illu-

Illustrissimus Dominus Baro de Seidlitz & Sonnenberg. 1688.

Illustrissima Domina Marianna Elisabetha Baronissa de Seidletz. 1688.

Perillustrissimus Dominus Joannes de Biderman. J. V. Doctor, S. C. M. in suprema Curia utriusque Silesiæ Consiliarius.

Perillustrissimus Dominus Casparus Schele S. C. M. in suprema Curia utriusque Silesiæ Consilarius.

Perillustrissimus Dominus Conradus de Sternberg S. C. M. Consiliarius & Assessor Regii officii in Ducatu Wratislaviensi.

Perillustrissimus Dominus Otto de Schopp S. C. M. Consiliarius in Regimine Lignicensi.

Perillustrissimus Dominus Ernestus Guilielmus de Panwitz S. C. M. Consiliarius & Syndicus Ducatuum Schuidnicensis & Jauroviensis.

Perillustrissimus Dominus Adamus Fridericus de Gruttschreiber Consiliarius Regii officii Ducatûs Brigensis.

Perillustrissimus Dominus Joannes Ernestus de Pem. Vir Regius & Senior in Ducatu Wratislaviensi, nec non Deputatus, ad publica DD. Statuum 1685.

Perillustrissimus Dominus Joannes Casparus de Sebottendorff.

Perillustrissimus Dom. Theodorus Fuhrlohn Comes Palatinus.

Perillusts. Dns. Carolus Henricus à Zomnitz Capitaneus Cæsareus. 1685.

Perillustrissimus Dominus Joannes Christophorus à Schertz Capitaneus Cæsareus.

Perillustrissima Virgo de Nimbsch. 1686.

Domina Maria Elisabetha ab Haunold nata Baronissa Kanowskiana. 1686.

Prænobilis Dominus Jacobus de Baudis. 1687.

Prænobs. & Consult. Dns. Paulus Ottman Consul. Wohlaviensis.

Gener. & Clarissimus Dominus Christianus Frantz Proto-Fiscalis Silesiæ & Secretarius Scabinatus Civitatis Wratislaviensis 1686

Clarifs. Dns. Henricus Carolus Peilschmidt Juris Doctor. 1688.

Prænobilis ac Generosus Dominus Godefridus Neuman de Neumansvaldan Quæstor Ducatus Wratislaviensis.

Gener. Dns. Godefridus Bukisch Secretarius Regii officii Ducatus Brigensis.

Gener. Dns. Bartholomæus Hennius Consul Brigensis.

Dominus. Georgius Augustus Gorner Cancellarius ad S. Claram Wratislaviæ.

Clarissimus Dominus Johannes Fridericus Halman cum Domina conjuge Juris Practicus Wratislaviæ 1686.

Gener. ac Strenuus Dominus Henricus Backpusch Vigiliarum Præfectus.

Dominus Wendelinus Riese Prædicans Stralroldanus, oriundus Kirtimo in Marchia 1687.

Prænobilis & Excellentissimus Dominus Joannes Hoffman cum Domina Conjuge, Medicinæ Doctor Wratislaviæ.

Prænob, & Gener. Dominus Joannes Stokleben Medicinæ Doctor Wratislaviæ.

Prænobilis Dominus Arnoldus Godefridus de Knichen. 1688.

Prænobilis Virgo Heinricheta Dorothea de Knichen. 1688.

Illustrissimus Dominus Baro de Sedlitz & ejusdem Illustrissima Domina Soror.

Horum omnium hic recensitorum nomina, & qui adhuc seu per nostram seu aliorum operam à Patre Luminum ad Filium, ejusque sponsam S. Ecclesiam Rom. Catholicam tracti ac perducti fuerint, ut in Libro vitæ scripta maneant æternum cordicitus exopto: Divinamque Bonitatem ac Providentiam suppliciter exoro.

EPIPHASIS.

Cum voto Autoris. Quæ cum ita sint.

Vos ego quotquot estis Dissidentium inter se, atque à Catholica Romana Ecclesia, & vel ideo deflectentium à Regia Veritatis fidei Via per vestrarummet salutem, quâ nihil carius, Animarum oro, obtestorque ut ad hanc iterum etiam horum qui hic notati exemplo pedem referatis,à quâ prô! quam turpi & exitiosâ Apostasiæ notâ recessistis! *satis* jam, satis superque tot turbinibus tempestatibusque dissidiorum, contentionum, contestationumque ad naufragium usque plurimorum *jactati* mihi *videmini*: *Finem tandem hujuscemodi laboribus imponite! sequimini Viam*, Regiam *Catholicæ Disciplinæ quæ ab ipso Christo* ad Apostolos, *ab Apostolis* ad Nostros Majôres, *ab his ad nos usque manavit, & abhinc ad posteros manatura est.*

D. August. L. de Util. Cred. C. 8.

Te ego Domine Jesu amator & servator animarum,cordiumque nostrorum scrutator supplex adoro & per tuum amabilissimum cor fontem Tuæ ac Nostræ Vitæ ardenter exoro: ut cùm te *Viam,Veritatem*, & *Vitam* palam pronuntiaveris; sis omnibus Veritatis fidei orthodoxæ scrutatoribus *Via* Regia qua recta ducantur, per Te *Veritatem* immutabilem, ad te *Vitam* immortalem. Sis eis *Via*, à qua non deflectant; *Veritas*, à quâ non oberrent; *Vita* à quâ non recedant æternum. Tu es illa *Via*, *in qua Lux* unicæ Veritatis *habitat*, *lucem* simul *inaccessibilem* ipse *inhabitans*. Fac obsecro ut hæc in cordibus caligine errorum obfuscatis serenissimè exoriens resplendeat, & crescat usque ad perfectum diem Vitæ melioris, quia absque occasu perennaturæ. Tu es illa simul *Lux* Vera *quæ venit in hunc mundum*, quam qui per Te *Viam*, in Te *Veritate*, *sequitur*, *non ambulat in tenebris*, *sed habet Lumen Vitæ*. Tu es illa Lux per quam mentis nostræ gressus in Te *Via* securè statuuntur, ne collabascant: Te *Veritate* solidantur, ne in errorum intricatos incurrant mæandros; Te *Vitâ* à portis æternæ mortis revocantur. *Tu es* demum illa *Lux quæ fecit hanc* (solis) *lucem*: Ergo ut per Te *Viam*, in Te *Veritate*, ad Te *Vitam* ultimo perveniamus omnes; Fac efflagito, ut Te *Lucem nostram amemus*, *hanc intelligere cupiamus*, *ipsam sitiamus*, *ut ad ipsam*, *duce ipsa aliquando veniamus*, *& in illa ita vivamus*, *ut nunquam omnino moriamur*. Fiat! Fiat!

Joan. 8.

D. August. Tract. 34. in Joan. post init.

Errata sic corrige.

In Prophasi ad Lect. Pag. 1. facie 2. v. 6. *exponens.* Lege *expones.*
Pag. 2. facie 1. v. 6. *Carnis.* Lege *Variis.*
In ipso Opere. Pag. 17. v. 18. *eo omnia* L. *ea omnia.*
62. v. 24. *controversiis* L. *controversis.*
63. v. 4. *tum temporibus* L. *tum temporis.*
67. v. 3. & 4. *Quod psalmi, quod.* L. *quot, psalmi, quot.*
69. v. 8. *Alexandria.* L. *Alexandrina.*
74. v. 17. *abrumpomur.* L. *abrumpamur.*
78. v. 5. *Syndronio.* L. *Syndromo.*
82. v. antep. *ipse Ecclesia.* L. *ipsa.*
83. v. 1. *Veritatis.* L. *Veritates.*
84 v. 5. *omne rationale est homo* omissum addendum *Petrus est animal rationale* Ergo *Petrus est homo.*
112. v. 23. *inte se* L. *inter se.*
113. v. 13. *discet* L. *discit.*
115. In titulo Manuductionis. *proponendis* L. *in proponendis.*
117. v. 5. ante finem *laudati* L. *laudatum.*
123. v. 11. *in Proœraium* L. *Proœmio.*
123. ad fin. *successoriq;* L. *successoribus.*
134. ad med. *Atqui sic* L. *atq; sic.*
Ib. ad fin. *velit ovibus* L. *velut ovibus.*
Ib. *stent atq; conspirent* L. *stat atq; conspirat.*
Pag. 137. v. 16. *Et ille* L. *illi.*
149. v. 20. *quam unà* L. *quem unà.*
Ib. v. 31. *turbinis.* L. *turbines.*
Ib. *novæ portæ.* L. *nova porta.*
151. v. 30. *cæteriq;.* L. *cæteraq;.*
152. v. 17. *idq; præcipuè* L. *eaq; præcipua.*
153 v. 4. *quo hic.* L. *quo hi.*
154. v. penult. *& non pro defunctis,* L. *etiam pro defunctis.*
168. ad fin. *cum reliquo Ecclesiæ* L. *cum reliqua Ecclesia.*

Pag

Pag. 170. v. 3. *fulgore.* Lege. *fulgure.*
Ib. v. 18. *falsò illis attribuit.* L. *falsò illi attribuunt.*
Pag. 171. ad med. *Oppugnetæ* L. *oppugnata.*
172. v. 3. *quo morte oppetiit.* L. *quam mortem oppetiit.*
Ib. v. 6. *Carbunculos ea oriri* addendum: *sensit.*
Ib. ad med. *autoritate* L. *autoritatem.*
173. v. 6. *subscrigti* L. *subscripsi.*
176. v. 3. *Orientes* L. *orientis.*
179. ad fin. *Infernum* L. *infernalem.*
167. v. 4. *anno autem 1418.* L. *1448.*
201. v. 25. his omissis. *Nec verò ad sequentia descendo secula, ut ex eisdem allatam Propositionem comprobem.* L. *Id autem ita manifestum est &c.*
Ib. v. 31. post verba *hodierni Dissidentes perplures* omissum add. *his postremis duobus sigillatim seculis.*
Ib. v. 34. *Vel est eo.* L. *Vel ex eo.*
213. v. 13. *Universos.* L. *Universis.*
214. v. 5. *Acques.* L. *Eques.*
215. à v. 4. ad 26. *Perillustrissimus* L. *Perillustris.*
216. initio Epiphasis. *Dissidentium inter se* L. *Dissidentes abinvicem* ac paulò post L. *& vel ideò deflectentes.* Ib. *oberrent* L. *aberrent.*

Cætera prudens Lector facilè corriget.





